16.

MERITA SAXONVM

SVB AVSPICIIS

MARCHIONVM MISNIÆ

IN S. R. IMPERIVM

ET DOMVM AVSTRIACAM

EX

HISTORIARVM MONVMENTIS

BREVITER DELINEAVIT

CAROLVS OTTO RECHENBERG.

LIPSIÆ,
APVD THOMAM FRITSCH,
M DCC XIII.

16.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DN. ADOLPHO MAGNO
S.R.I. COMITI AB HOYM

DYNASTÆ DROYSIGII, SPREMBERGÆ,
NEVSALZÆ ETC. ETC.

MINISTRO STATVS ET SENATVS
INTIMIORIS REGII

CONSILIARIO

TRIBVTORVM REGIORVM
PER SAXONIAM

SVMMO PRÆSIDI

MÆCENATI GRATIOSISSIMO

D. D. D.

AVTOR.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME

COMES

DOMINE GRATIOSISSIME

Q*Vum tanta*, COMES ILLVSTRISSIME, TVA, *in* Sereniſſimum *ac* Potentiſſimum Regem *& Saxoniam noſtram proſtent merita, quanta ſinguli, qui patriam amant, norunt & gra-*

Digitized by Google

grata mente devenerantur, Schediaſma hocce Hiſtoricum, quod Saxonicæ Domus merita erga S. R. Imperium & Auſtriacam gentem ſiſtit, Excellentiſſimo TVO Nomini *inſcribendum nullus dubitavi. Illos enim, qui propria virtute & præclaris rebus geſtis ac conſiliis de patria præ reliquis bene merentur, optime quoque merita aliorum, & illorum præcipue, quibus ſuas operas jungunt, æſtimare poſſe* TVO, DOMINE GRATIOSISSIME, *incomparabili exemplo ſingulis perſuadebis. Loquitur & debita veneratione admiratur* TVA *ſaluberrima conſilia non modo Saxonia, ſed & quæ felicitatem in ſe redundaturam prævidet, Germania de illis ſibi congratulatur. Redeunt ergo optimo jure ad* TE, COMES ILLVSTRISSIME, *illa Domus Saxonicæ merita, quæ* TE *adjuvante magnam partem noſtro tempore*

Digitized by Google

in S. R. Imperium prodierunt. Illa nonniſi ſerena fronte intueberis, & ſi quid forſitan dicentis tenuitate illis decederet, TVA, *qua me haud ita pridem dignatus es, comitate ac gratia ingenii imbecillitatem ſublevabis.* VALE.

Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi
TVI Nominis

Lipſiæ Kal. Jun.
M DCC XIII.

obſequentiſſimus devotiſſimusque cultor.

CAROLVS OTTO RECHENBERG.

Digitized by Google

Benevolo Lectori

S. P.

QVam pro Cathedra ab initio defendendam Diſſertationem cogitaveram, jam Schediasmatis indumento veſtitam ſiſto, quod caſu quodam contingeret, ut argumentum in ſe maximam partem Hiſtoricum, rejecto JCtorum foro, ad ſuos fontes & doctrinam, quæ rerum geſtarum decora pandit, rediret. Juri equidem Publico, & Feudali quoque ex eodem, ratione Saxoniæ noſtræ, inſignem lucem accendi potuiſſe, nemo inficiabitur, qui vel fugitivo oculo con-

Digitized by Google

conſpectum opuſculi inſpexerit. Verum enim vero, quum Juris ſanctum nomen, ſi forſitan illi præfigi contigiſſet, Lectores improvidos aut meticuloſos eo ſtatim abripere potuiſſet, ut ex quibusvis locis, quæ tamen centies in omnibus Saxonicis Hiſtoricis ſine ſuſpicione damni inde Saxoniæ orituri leguntur, anguem in herba latentem elicere voluiſſent, ſecurius futurum ratus ſum, ſi febriculoſum hominum ſtudium eliderem, & ſine ulla juris facta mentione Hiſtoriæ Civili, quæ ſunt Hiſtoriæ, tribuerem. Suſtinui itaque hiſce paginis illa Saxonum merita tradere, quæ per tria abhinc ſecula in emolumentum Reipublicæ Romano Germanicæ, ab ipſis ſunt profecta. Quum etiam prudentiſſimo Electorum, & in illis vel maxime Saxonum judicio ac autoritate cura illius Reipublicæ regendæ Auſtriacis non interrupto ordine demandata fuerit, ſponte ſua inde fluit Saxones, dum Germaniæ ſuam pietatem probare vellent, Auſtriacis quoque tanquam rectoribus communis patriæ ſtudia ſua & affectum addixiſſe. Significarunt ergo plurima in certiſſimam Germaniæ ſalutem & Auſtriacorum gratiam ſuſcipiendo, non minorem ſibi nutantes Reipublicæ res fulciendi fuiſſe facultatem, quam voluntatem, & tot nomi-

mi-

minibus quondam commendatam Germanorum fidem, in ipſa Saxonia ſancte ſemper fuisſe excultam. Gloriam in ipſam gentem Sereniſſimam inde redundaturam illi judicent, qui ex hiſtoriarum monumentis cognoverint, Marchiones Miſniæ, quorum auſpiciis illa, quæ traduntur, geſta fuere, ut antiquitate ſtemmatis, ita antiqua fide nulli Principum Germaniæ primas conceſſuros. In ipſa quoque conſcribenda commentatione in locum quendam Celeberrimi *Conradi Samuelis Schurtzfleiſchii* incideram, quo juſto quondam deſiderio eandem, quæ hic traditur, exponendam doctrinam, ſuaſu Summi Status Saxonici Miniſtri incitatus, (uti ex ſermonibus ejus adhuc recordor) præoptaverat. Quum enim in Diſſertatione qua Friederici III. Elect. Saxon. vitam exponit, reliquorum quoque ſucceſſorum res geſtas & elogia commemoraret, *juſtum* denique *commentationis argumentum* arbitratur, ſi quis Schediasma ederet, *cujus Titulus adornari, & juſto operi præſcribi poſſet ad hunc modum.* Was hat Chur-

 Sach-

Sachſen bey Oeſterreich gethan? *Non inepta, neque inconvenienti imitatione Michaelis Praun junioris, qui peculiari libro Germanice ſcripto expoſuit merita Domus Auſtriacæ, atque ornamenta ab ea in Germaniam profecta:* Was hat Oeſterreich bey Teutſchland gethan? *Enimvero ut Auſtrii de Germanis, ita Saxones de Auſtriis præclare meriti ſunt ſemper, nec iis in cauſa juſta defuerunt unquam, quod exiſtimarent, capite male affecto, reliqua membra verſari in periculo, & perpeti dolorem. Tum qua ſedulitate ac diligentia de Auſtria, eadem de Germania univerſa laborarunt, cujusmodi multa & egregia documenta dedit Friedericus III.* Hoc cognito maximopere gaviſus ſum, Virum de ſplendore Domus Saxonicæ optime meritum, anteſignanum habuiſſe, quem, ut transeundi, qui tenuitatis ingenii mei probe mihi ſum conſcius, ſpes non ſit, magna tamen ſubſequendi dignitas adhuc habetur. Hoc duce illa, quæ colligenda in votis habuerat, non modo colligere, ſed & collecta ipſius & Mæcenatis,

cu-

Digitized by Google

cuius conſilio obtemperabat, autoritate defendere non erubeſcam. Gratulabor potius mihi, tum quod inopinanti quoque eadem cum tanto viro mens & pietas erga Sereniſſimos Nutritios fuerit, tum quod per quadraginta annos a quo primus de hac illuſtri materia cogitavit, incultum, neque a quopiam Hiſtoricorum ambabus, ut loquuntur, manibus arreptum Thema primo mihi literis tradendum obvenerit. Omnem quidem operam in perpolienda hac nobiliſſima Hiſtoriæ Saxonicæ parte aliis a me præreptam nullus glorior, quum illis, quibus ſecretiora ex arcanis rerum monumentis cognoſcenda patuerunt, plura ſupereſſe poſſint, quæ quo magis forſitan arcana traderent, eo majorem & intimiorem cum Auſtriacis amicitiam procul dubio arguerent. Illa tamen, quæ publice per tria ultima ſecula geſta omnibus ita innotuerunt, ut publicis commentariis conſignata omni dubio careant, tali fide in unum congeſſi, qualem & Hiſtoricum decet, & merita Saxonum nunquam intermo-

moritura cuivis bono viro imperaviſſent. Servet, quod reliquum, utramque gentem Sereniſſimam Summus ille rerum Arbiter, & qui eosdem utriusque autores in Erneſto Friederici III. Imperator. patre eſſe voluit, eandem, qua altera jam abundat, numeroſiſſimam quoque prolem Auſtriæ benignisſime largiatur.

Vale.

CONSPECTVS

Digitized by Google

CONSPECTUS SCHEDIASMATIS.

CAP. I. *De mutua Auſtriacorum & Saxonum amicitia, & ſingulari Auſtriacorum in illos benevolentia.*

§. I. *Saxonum æterna gloria & affectus erga Germaniam.*

§. II. *Auſtriacorum eadem erga patriam communem mens, & pietas.*

§. III. *Una eademque voluntate uniti amicitiam ſingularem ad commune bonum obtinendum ſemper coluere.*

§. IV. *Hæc vinculis nuptiarum frequentioribus confirmata fuit: id quod exemplis probatur.*

§. V. *Liberalitate Auſtriacorum Rudolphus Habſpurgicus Alberto II. Electori Comitatum Bremenſem & Wettinenſem, Palatinatum Saxonicum, & nepoti Rudolpho I. Burggrafiatum Magdeburgenſem obtulit.*

§. VI. *Cæſaris Sigismundi favore ſpeciali erga Marchiones Miſniæ Electoralis dignitas ipſis ceſſit.*

§. VII. *Maximiliani judicio Albertus conditor lineæ hujus nominis torque aurei velleris ornatur, & Belgii præfectus conſtituitur.*

§. IIX. *Ejusdem Maximiliani arbitrio jus in ter-*

Digitized by Google

ras Juliacenſes & Imperium in Friſiam eidem Alberto tribuitur.

§. *IX. Friedericum Sapientem Imperii Locumtenentem generalem & Gubernatorem Maximilianus nominat.*

§. *X. Mauritio Electoralem dignitatem, nec non feuda Bohemica Carolus V, & Auguſto fratri Ferdinandus I. in Aſcanienſes terras expectativam confert.*

§. *XI. Chriſtiano II. terræ Clivenſes & adjacentes ſolenni inveſtitura Pragenſi & Bruxellenſi conceduntur.*

§. *XII Johanni Georgio I. portio terrarum Brunſvicenſium in caſum mortis aſſignatur, & Luſatia perfecte traditur.*

§. *XIII. Varia adhuc adfectus Auſtriaci erga Saxones teſtimonia recenſentur.*

§. *XIV. Neque gratis hæc omnia Auſtriaci Saxonibus dedere; ſed præclaris meritis illorum beneficia adhuc exſuperarunt.*

§. *XV. A quo tempore hæc Saxonum merita nobis hac diſſertatione ſint recenſenda.*

§. *XVI. Tria ultima ſecula, per quæ Auſtriacorum gens Cæſaream dignitatem, Marchiones vero Miſniæ Electoralem non interrupta ſerie tenuerunt, optimum, quem ſequamur, ordinem tradit.*

CAP. II.

Digitized by Google

CAP. II. *de Meritis Domus Saxonicæ in S. R. Imperium & Familiam Auſtriacam Seculo Decimo Quinto.*

§. *I. II. Res geſtæ Fried. Bellicoſi tempore belli Huſſitici in favorem Sigismundi.*

§. *III. Animum rebus deſperatis non mutavit.*

§. *IV. Friedericus Placidus & Wilhelmus duris initiis ſunt uſi, quod Cæſari contra Bohemos faverent.*

§. *V. Fratrum horum victoriæ contra Bohemos, quibus Alberto II. Auſtriaco Imper. Bohemiæ regnum magnam partem firmarunt.*

§. *VI. Wilhelmus in gratiam Ladislai Auſtriaci Poſthumi oblatam Bohemiæ coronam recuſat. Illius per Germaniam autoritas.*

§. *VII. Communem proavum Archiduces Auſtriæ, & omnes Saxoniæ Duces lineæ Albertinæ & Erneſtinæ in Erneſto Auſtriaco habent.*

§. *VIII. Friderici Placidi filius Erneſtus electionem Maximil. I. anno* 1486. *in regem Romanorum egregie promovet.*

§. *IX. Albertus Dux Sax. ipſius frater diu in aula Cæſar. verſatur.*

§. *X. Friedericum III. Imper. & omnem Auſtriam duabus vicibus contra Matthiam Hungar. regem defendit.*

§ *XI. Romani Imperii partes contra Carolum Burgundum feliciter ſuſcipit.*

§. XII. *Maximiliano I. a Belgis capto ſuccurrit, & ab ipſo Belgii Gubernator declaratur.*

§. XIII. *Ravenſteinium rebellem ad officium redigit. Grimbergam vi, Thamum aſtu occupat. Ex propriis nummis ſtipendia militibus ſolvit. Halam obſeſſam liberat.*

§. XIV. *Arſchotum memorabili expugnatione facta, diripit.*

§. XV. *Thenas, Lovanium & Bruxellam in deditionem recipit. Eques aurei velleris declaratus novum equitatum in ſuis terris colligit.*

§ XVI. *Wourdam Montfortiis eripit. Hollandos & alias gentes vicinas a Ravenſteinio ſollicitatas gravi clade afficit. Harlemum recuperat.*

§. XVII. *Gandavum fame urget, & Sluſa occupata Belgio pacem, & Maximiliano I. Belgium reſtituit.*

§. XIIX. *Rogatus operam contra Gallos in comitiis ſpondet.*

§. XIX. *Friſos perdomat. in obſidione Groningæ ægrotat; filiis amorem erga patriam commendat, & ſupremum diem obit.*

§. XX. *Elogia ejus, & varia affectus erga Germaniam ſpecimina adbuc traduntur.*

CAP. III. *De meritis Domus Saxonicæ in S. R. Imperium & gentem Auſtriacam Seculo Decimo ſexto.*

§. I. Frie-

§. I. *Friedericus Sapiens per omnem vitam amiciſſimus Maximil. I. in Comitiis Wormatienſibus & Trevirenſibus inſtituta adjuvat, & ſingulari prudentia Locumtenentis generalis officio fungitur.*

§. II. *Maximiliani I. nepotem Carolum ante avi obitum anno* 1518. *Imperatori ſubſtituendum Electoribus commendat.*

§. III. *Dignitatem Cæſaream oblatam recuſat, & ſua auctoritate Carolo V. Electorum ſuffragia conciliat.*

§. IV. *Magno animo dona a Cæſare oblata detrectat, & ne quis ſuorum nummos acciperet, prohibet.*

§. V. *Germaniæ libertati Capitulationem ſuadendo proſpicit.*

§. VI. *Elogia quæ affectum ejus erga patriam deſignant.*

§. VII. *Georgii idem erga Auſtriacos amor, quo ductus Ferdinandum I. hæredem inſtituere cogitat.*

§. IIX. *Heinrici opera in ſedando ruſticorum per Germaniam tumultu.*

§. IX. *Johannes Conſtans expeditionem Hungaricam ſuſcipit, & in Albæ Regalis expugnatione primus pilum in muro figit. Joh. Friederici Magnanimi bellum contra Auſtriacos excuſatur.*

Digitized by Google

§. X. Mauritius tirocinia militiæ in Hungaria facit, & fortiſſime dimicans in extremum vitæ diſcrimen adducitur.

§. XI. In Belgio Caroli V. caſtra ſequitur. Ferdinando Bohemos rebelles in ordinem redigit.

§. XII. Carolo V. amicus a fœdere Schmalkaldico abhorret. Patruo Joh. Friederico bellum movet, & ſocero Philippo Magnanimo arma exuat perſuadet.

§. XIII. Magdeburgum juſſu Cæſaris obſidet. In Cæſarem ad conſervandam Germaniæ libertatem arma, quibus ipſum defenderat, vertit.

§. XIV. In ipſo bello reverentiam Auſtriacis debitam retinet, & Paſſavienſi conventione inita contra hoſtes Auſtriæ in Hungaria caſtra movet.

§. XV. Nomine Cæſaris Alberto Brandenburgico imminet, & in prœlio lethali vulnere afficitur.

§. XVI. Merita ejus plurima paucis exhibentur.

§. XVII. Auguſtus frater in Geldria & contra Gallos militat. Pacem Auguſtanam promovet. Coronationem Ferdinand. I. & electionem Maximil. II in Imperatorem ſua opera adjuvat.

§. XIIX. Contra Turcas ſuppetias mittit. Grumbachianas turbas juſſu Cæſaris componit.

§. XIX. Diadema Imperatoris in gratiam Rudolphi II. negligit, eundemque poſtea Imperatorem conſtituendum ſuadet.

CAP. IV.

Digitized by Google

CAP. IV. *de Meritis Domus Saxonicæ in S. R. Imperium & gentem Auſtriacam per Seculum Decimum Septimum ad noſtra usque tempora.*

§. I. Chriſtianus II. affectum erga Auſtriam tormentis dono oblatis teſtatur.

§. II. Lites inter Rudolphum II. & Matthiam exortas ſuo conſilio dirimit.

§. III. Joh. Georg. I. Unioni Proteſtantium turbas in Imperio parituræ in favorem Auſtriacorum non ſubſcribit.

§. IV. Idem Matthiam Imperat. Dresdæ magnifice excipit, & ſucceſſoris Ferdinand. II. cauſam in comitiis contra Bohemos defendit.

§. V. Regnum Bohemiæ neque ambit neque oblatum accipit; ſed potius Sileſiam & Luſatiam a Cæſare alienas armis ad officium redigit.

§. VI. VII. Rationes quibus offenſus Cæſaris partes poſtea deſeruit.

§. IIX. Amorem, qui altiores in ipſo radices egerat, erga Auſtriacos exuere non potuit, & Pragenſi pace inita de novo eundem firmavit.

§. IX. Pacis Pragenſis juſtitia defenditur.

§. X. XI. Quæ ex illa pace in Auſtriacos commoda, in Saxones vero moleſtiæ redundaverint.

§. XII. Ne reipublicæ Germanicæ deeſſet & tranquillitati communi, ſuæ Domus prætenſionibus poſthabitis Monaſterienſem pacem ſingulari ſtudio promovet.

§. XIII.

Digitized by Google

§. *XIII. Pace univerſali reſtituta Cæſarem Pragæ filio comite inviſit.*

§. *XIV. Joh. Georg. II. Vicariatus ſpartam egregie ornat. Electionem Leopoldinam promovet, & comitiis Ratisbonenſibus intereſt.*

§. *XV. Idem Gallorum pollicitationibus inſuper habitis rem Germanorum ſuis copiis anno* 1672. *& ſeq. adjuvat.*

§. *XVI. Joh. Georg. III. primæ expeditiones pro ſalute Germaniæ recenſentur.*

§. *XVII. Viennam obſidione liberat, & inter Germanos præcipuam victoriæ laudem aucupatur.*

§. *XIIX. Militem in Hungariam ad expugnationem Budenſem mittit. Contra Gallos caſtra movet: Moguntiam recipit, & in expeditionibus Rhenanis ſæpius repetitis tandem moritur.*

§. *XIX. Joh. Georg. IV. veſtigia paterna premit, ſed morte præventus* Friederico Auguſto *telam pertexendam cum imperio relinquit.*

§. *XX. Hic Patris quondam contra Gallos comes, poſtea Elector factus in Hungaria Turcas ſæpius fugat, & victorias Cæſaris tum ſe præſente promovit, tum ſuis copiis adjuvit.*

§. *XXI. Ut Germaniæ conſuleret ſceptra Polonica capeſſit.*

§. *XXII. In Bello contra Gallos noſtro tempore ſuppetiis frequenter latis fœderatorum cauſam communem ſecundat.*

§. *XXIII. Aliorum Saxoniæ Ducum merita plurima recenſentur.*

DE

Digitized by Google

DISSERTATIONIS
DE
MERITIS SAXONVM SVB AVSPICIIS MARCHIONVM MISNIÆ
IN
S. R. IMPERIVM ET SERENISS. DOMVM AVSTRIACAM.

CAP. I.
DE MVTVA AVSTRIACORVM ET SAXONVM AMICITIA, ET SINGVLARI AVSTRIACORVM IN ILLOS MVNIFICENTIA.

§. I.

SAxonum merita & longæva decora recenſere quibus omnem, qua patet, Germaniam quondam externis ob inſignem, qua pollebant, virtutem commendavere, non diſſertationis, ſed multorum annorum & voluminum opus foret. Exſecuti illud ſunt olim, Fabricii, Cranzii, Chytræi, Albini, Peckenſteinii, Spangenbergii, & noſtris temporibus Mülleri, Tenzelii, Schurzfleiſchii, nec

Digitized by Google

non alii de Saxonum gloria & meritis optime meriti Hiſtorici. Teſtantur de illis & virtutes in hoſtibus laudant Franci olim, & a quibus religione ultimis ſeculis diſceſſere Pontificii eadem non diffitentur; ita ut æque facile fuerit illorum hiſtoriam quam merita conſignare, quum nil niſi præclara geſſerint, & adverſam, quæ ab hominibus non aliena eſſe ſolet, fortunam candore, virtute, & conſtantia exſuperaverint.

§. II.

Eadem Auſtriacæ gentis ornamenta commemorare, pari difficultate connexum foret, ſi numeri & ponderis debitam in illis rationem haberes. Taceo equidem illos, qui æmulatione & ſtudio, quo decebat, ad exponenda illa quondam inter Hiſtoricos ſeſe accinxerunt; quum omnis Germaniæ judicium per plura ſecula in Imperatore ex hac familia eligendo continuatum, nil niſi amorem Auguſtæ familiæ erga patriam, & tot præclara facinora, quot Archiduces, loquatur.

§. III.

Hinc quum utraque gens pari affectu erga patriam ferretur, illa utriusque eadem plane voluntas firmiſſimum ſemper amicitiæ mutuæ vinculum extitit, ut privata, quæ frequens inter pares

ſe exſerit, æmulatione ſepoſita, in communem Germaniæ ſalutem conjuncto ſtudio allaborarent. Quo arctiori inde communis boni vinculo, & promovendi idem deſiderio jungebantur, eo frequentiori neceſſitudine ex affinitatis repetitæ juribus oriunda connecti geſtiebant.

§. IV.

Imperatorum inde filias Friderici II. Margaretham Alberto Degeneri, & Ludovici Bavari Mechtildin Friderico Severo nubſiſſe, æque notum ac Albertum II. Electorem Saxoniæ gentis Auſtriacæ primi Statoris Rudolphi filiam Agnetem ſociam thori ſibi adſciviſſe. Henricum itidem Illuſtrem Marchionem Miſniæ Leopoldi Auſtriaci filiam Conſtantiam duxiſſe annales tradunt. Wilhelmum poſtea Alberti II. Imperat. Annam v. Fabrit. Origin. Saxon. p. 707. & fratrem illius Fridericum Placidum Septemvirum Erneſti Auſtriaci filiam Margaretham Friderici III. Imperatoris Sororem, omnis Saxonicæ gentis matrem fœcundiſſimam, conjuges habuiſſe, utriusque gentis ſcriptores, & in illis Fabrit. Orig. Saxon. p. 736. loquuntur. Ipſi Joh. Friderico Magnanimo Caroli V. Sororem Catharinam an. 1519. & filio ejus Joh. Friderico II. Ferdinandi I. Filiam Eleonoram teſtibus Nicolao Perenotto Granvellano,

Barone de Schwechau, D. Gregorio Bruckio, & Franciſco Burcardo deſponſatam fuiſſe probant Sagittar. in vit. Joh. Frid. Sigismund. V. Bircken im Sächſiſchen Helden-Saal 565. & Müller in Annal. Saxon. ad an. 1544.

§. V.

Accedebat ad hæc nuptiarum vincula, munificentia plane ſingularis, qua ditiones, dignitates & infinita alia in gratiam Saxonum ab Auſtriæ Cæſaribus & Ducibus conferebantur. Rudolphus enim Habspurgicus generum Albertum II. Electorem Saxon. ex Aſcaniorum familia, extincta in Ottone ſtirpe Comitum Brenenſium an. 1289, non tantum Comitatu Brenenſium, & Wettinenſium, contra voluntatem defuncti, qui Capitulo Magdeburg. legaverat, v. Becmann. Hiſtor. Aſcanienſ. P. V. I. I. c. VII. p. 43. ſed & Palatinatu adhuc donavit, uti verſus teſtantur:

König Rudolph die Pfaltz mir gab/
Die Graffſchafft Brene mit aller Hab/
Zu ſeiner Tochter Frau Agneten,
Daß ich die Chur möcht baß vertreten.

v. Lucæ Uhralten Grafen-Saal p. 876. Nepoti poſtea Rudolpho I. Electori Burggrafiatum Magdeburgenſem, Hermanno Billingo ab Otton. I. conceſſum, denuo confirmabat. v. Becmann. Hiſtor. Aſcanienſ. p. V. I. I. c. VII. p. 46.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Electorum dignitate in Miſniæ Marchiones translata, ipſam quoque Cæſarum, & Archiducum Auſtriæ benevolentiam inſimul in illis continuatam legimus, præcipue quod ante Electoralem dignitatem eandem ſtrenua virtute jam promeruerant. Quum enim Cæſaribus ex Domo Lucelburgica contra proprios cives, quos ab autore ſacrorum, quæ profitebantur, Huſſitas appellabant, arma capienda eſſent, Rudolphi III. ultimi ex Aſcaniorum familia opera egregie adjutos fuiſſe legimus. Hic quum veneno, uti fama eſt, circumventus occubuiſſet, Electoratus Saxoniæ tanquam feudum, uti ipſe *Sigismundus* hoc in inveſtitura, cujus exemplar v. in *Lucæ* Uhralt. Graf. Saal. p. 877. de dato Ofen 1425. it. Lunigs Reichs-Archiv Part. Spec. T. 2. p. 6. exprimit, ad Cæſares rediit. Hi quo magis Bohemos in officio continerent, merita autem Marchionibus Miſniæ quodammodo compenſarent, ipſis ſubditis & nobilibus idem exoptantibus v. Hortled. de cauſ. bell. German. T. I. 10. p. 1495. Friedericum Bellicoſum Electorem Saxoniæ conſtituerunt. v. plura in Joh. Burcard. Menckenii, & Chriſt. Hübneri Diſſert. quibus Frieder. Bellicoſi vitam ſiſtunt.

Digitized by Google

§. VII.

Electorum dignitate ſemel obtenta nova indies ſequebantur merita, quæ nova quoque virtutis præmia poſtulare videbantur. Quum itaque Albertus Dux Saxoniæ in fine illius ſeculi Maximilianum I exercitu & fide ſtrenue in Belgio adjuviſſet, gratiſſima mentis ſignificatione Ducis virtutem Imperator agnovit. Ut enim taceam primum hunc ex Germaniæ Ducibus ordine & torque aurei velleris condecoratum fuiſſe, Belgarum, quos ipſe compeſcere non poſſet, præfectus ipſius autoritate in urbe Mechlinenſi decretus eſt. Quam præfecturam quanta fide & gravitate geſſerit, ipſe poſtea rerum eventus comprobavit. v. Fabrit. Orig. Sax. p. 817.

§. VIII.

Operam in gubernandis provinciis adhibitam, tum conceſſione in eventum mortis Ducatuum Juliacenſium, Bergenſium &c. tum vero Friſiæ traditione penſavit. Illam an. 1483. v. Lunig. Reichs-Arch. Part. Special. II. Theil p. 14. a Friederico III, & a Maximiliano an. 1486 & an. 1495. confirmatam v. Lunig. l. c. acceperat; hanc vero munificentiæ Maximiliani debebat. Suſpicabantur quidem nonnulli illo tempore malum Imperatoris animum, qui ut Saxoniam opibus præpotentem

iis-

iisdem exueret, tale donum obtuliſſet, quod invictos & ipſi Cæſari aliquando metuendos Saxonum animos ſua difficultate, & pertinacia incolarum infringeret. v. Bojem. in vit. Albert. Animoſ. Ipſe autem Cæſaris amicitiæ & propriæ virtuti fidens oblatam provinciam ſuis terris adjicere nullus dubitabat. Diploma Donationis de an. 1498. v. ap. Ubbon. Emmium Hiſtor. Frieſ. l. 37. p. 269. Pont. Heuter. Hiſtor. Belgic. Rer. l. 6. p. 272. Lunig. Teutſch. Reichs-Archiv Part. Special. II Theil p. 21. Conditiones, quas Imperator injunxerat, erant, ut feudum Auſtriacum Friſiam agnoſceret, 300000 ſolidorum exſolveret, & ſi belli impenſæ ipſi reſtituerentur, eandem redderet. Wahremundus Julius v. Kleuberg in Deduc. des Brandenburg. Rechts an Jülich, Cleve &c. l. 3. nova hac donatione facta, antiquius jus in Juliacum, Cliviam & adjacentes terras ſublatum fuiſſe ex Ponti Heuteri verbis eruere conatur; quam infeliciter autem illa conjectura procedat, tum ex ipſius Heuteri, ſi inſpiciantur, verbis, tum ex oneribus Alberto injunctis, & aliis donationis circumſtantiis conſtabit. Mortuis poſtea Maximil. I. & Alberto, filii Georgius & Henricus pacis ſtudiis magis quam bello adſueti Principes eandem Provinciam Carolo V. 200000 aureis ſolutis vendi-

Digitized by Google

dere, quod Frieſland/ quaſi Friß das Land ipſius Saxoniæ vires arroderet. v. Ubb. Emmii Chron. Frieſ. l. 48. Pontan. Hiſtor. Geldr. L. 11. p. 661.

§. IX.

Pari favore Maximilianus Friedericum ſapientem Electorem proſequebatur, quod tantum ille conſilio & autoritate, quantum Albertus quondam armis, valeret. Proinde Locum Tenentem Generalem & Gubernatorem ſi abſens eſſet Imperio in primis Imperii annis v. Fabrit. Orig. Sax. l. 8. p. 15. præficiebat, eidemque illorum, was Er als Römiſcher Kunig ſelbs thun möchte/ agendi non reſtrictam poteſtatem concedebat v. diploma Maximil. I. ap. Lunig im Teutſch. Reichs-Archiv. Part. Spec. II. Theil p. 28. Salarium quoque ſex millium florenorum aureorum quotannis ipſi perſolvendorum an. 1500 ſpeciali diplomate, quod v. Lunig. l. c. p. 27. addebat, & ne qua in parte ad ſignificandum affectũ omiſſum aliquid videretur, literis v. Lunig l. c. p. 29. ne quid per hanc novam dignitatem Vicariatui & juribus domus Saxoniæ detraheretur, ſtudioſe cavebat. Quemadmodum autem ex Hiſtoricorum monumentis non ſatis liquide conſtat, per quot annos dignitatis illius ſplendorem Friedericus retinuerit, quum Albin. in Chron. Miſnenſ. Joh. Sebaſt. Müllerus in Annal.

p. 72.

Digitized by Google

p. 72. Mollerus in Annal. Freiberg. ad an. 1519. p. 172. & Roſinus in vit. Fried. Sapientis p. 34. ad dies vitæ illam extendant, Georgius autem Spalatinus in Chronic. und Herkommen der Chur-fürſten und Fürſten des löbl. Hauſes zu Sachſen/ (cum quo Joh. Joach. Müllerus in ſeinem Reichs-ſtaat l. 5. p. 758. nec non Tenzelius in Saxon. Numiſmat. p. 11 faciunt) mortuo Maximil. finitam quoque ſtationem illam aſſerant; de ſingulari tamen hujus dignitatis exiſtimatione rectius judicabimus, ſi reliquos Electores a Friederico Memmingæ an. 1505. convocatos Norimbergæ an. 1507. comparuiſſe, & quæ proponenda habuerit ibidem audiviſſe, perpendas. Eodem anno Maximilianus quoque Ducatum Lauenburgicum, ſi familia expiraret, Friederico Sapienti & Johanni Fratri, nec non Georgio & Heinrico Lineæ Albertinæ Ducibus aliquando recipiendum obtulerat, & ſolenni adhuc infeudatione jus conceſſum firmaverat v. Müller. in Annal. Saxon. p. 64. ad h. a. quam publicis poſtea literis a Leopoldo an. 1687. Joh. Georgio III renovatam legimus Lunig. Reichs-Arch. part. Spec. T. 2. p. 223.

§. X.

Mauritio & Auguſto Alberti nepotibus eadem avi mens & pietas erga Auſtriam manſit, & pari

Digitized by Google

inde multis vicibus gratia ab Imperatoribus dignati. Nota equidem eſt benevolentia, qua Carolus V. Electoris dignitatem lineæ Albertinæ & in hac Mauritio, eidem vero Ferdinandus I. illas Miſniæ urbes obtulerat, quæ bello a Joh. Friederico illorum poſſeſſore contra Dominum feudi ſuſcepto, Bohemiæ iterum acceſſiſſe credebantur. v. Peckenſtein. Theatr. Saxon. P. 2. p. 18. quæ quanto illuſtrior fuit, & ad poſteros Sereniſſimos continuata noſtris adhuc ſe ſiſtit temporibus, tanto paucioribus verbis omnibus jam pridem commemorata recenſenda venit. Ipſi poſtea Auguſto Electori terrarum Aſcanienſium regimen, ſi familiam Principum expirare contingeret, a Ferdinando I. Francofurti ad Mœnum d. 5. Decembr. ann. 1562. promiſſum refert Illuſtr. Franckenberg im Europäiſchen Herold P. I. p. 264. it. Müller in Annal. Saxon. ad h. a.

§. XI.

Ducum Clivenſium ſtirpe ao. 1609. deficiente Rudolphus II. Imperator illorum memor, quæ Alberto & reliquis Saxoniæ Ducibus a Maximiliano quondam promiſſa erant, Chriſtiano II. Electori Pragæ d. 27. Junii an. 1610. jus ſuum in Ducatus illos denuo ſolemni inveſtitura confirmavit, v. Müller. Annal. Saxon. p. 254. Strauchii diſſert. jur.

Digitized by Google

jur. publ. Diſſert. 10. & ſua autoritate penes Hiſpanos effecit, ut eodem anno die 8. Decembr. Legato Saxonico Bruxellæ feuda Brabantina debitis ſolemnibus adhibitis conferrentur. v. Müller. l. c. p. 258. Lundorpii Continuat. Sleidani l. 55. c. 15.

§. XII.

Eadem Auſtriacorum amicitia Joh. Georgius I. uſus fuit, qui quantum potuere tum in controverſia Juliacenſi, tum vero in aliis eundem egregie adjuvarunt. Quum enim merita hujus Electoris glorioſiſſimi, quæ paulo infra recenſenda venient, nec non impenſæ in Cæſaris uſus factæ in tantum excreviſſent, ut ſingulas compenſare ultra vires, easdem vero negligere ſine ſingulari remuneratione Auſtriacorum generoſa indole indignum videretur, regionum Brunsvicenſium portionem, quæ Brandenburgicis in eventum mortis nondum aſſignata fuerat, an. 1625. d. 2. Jan. communi ſtatuum ſuffragio obtulit. v. Illuſtr. Franckenb. Europ. Herold P. I. p. 264. Ut autem ex ſuo quoque liberalis eſſet Cæſar, Marchionatum Luſatiæ, qui hæreditario jure ad poſteros tranſiret eidem Electori Pragenſi pace conceſſit.

§. XIII.

Longius forſitan foret, quam inſtituti ratio permitteret, ſi ſingula, quæ reſtant, teſtimonia amo-

ris & exiſtimationis, qua Saxonum ſtirpem Auguſtiſſima domus proſecuta fuit, enumerare vellemus. Huc enim non incommode referri poſſent, elogia Friederici III, nec non Maximiliani II, quibus ille Saxonem dextram imperii; hic vero Auguſtum Electorem fratrem & filii ſui patrem ſæpius compellavit; itinera Cæſarum Maximiliani II & Matthiæ in gratiam Electorum Auguſti, & Joh. Georgii I inſtituta; dignitates & prærogativæ minores ſingulis ſubinde conceſſæ, & quæ ante aliquot annos noſtro Sereniſſimo a Leopoldo promiſſa fuit in Friſia Orientali ſucceſſio, v. Franckenb. Europäiſcher Herold P. I p. 264. niſi hæc omnia hiſtoriarum imperitis perſuadere poſſent, majorem forſitan Auſtriacorum fuiſſe munificentiam, quam Saxonum, quæ illam provocaverat, virtutem.

§. XIV.

Ut itaque utramque domum, illam munificam, hanc vero Saxonicam bello ſtrenuam, pace Auſtriacis fidam & amicam ſiſtamus, illa commemoranda erunt, quæ præclara & præter generale Germaniæ Principum officium ſingulari adhuc ſtudio ab illa in S. R. Imperii ſalutem & Auſtriacæ Domus incrementum ſunt profecta. Conſtabit ex illorum ordine noſtræ quoque genti priſca illa

Digitized by Google

illa Germanorum, qua gloriantur, fides, & Saxonum nullis ſeculis imminuta virtus. Illa duce, hac comite magnæ matris Germaniæ quondam libertatem vendicarunt, & adhuc vendicabunt, ſi avita decora in unum congeſta ſeros nepotes ſpe gloriæ & certiſſimæ in omnem inde Germaniam redundaturæ felicitatis invitent.

§. XV.

Neque ordo, qui in conſignatione illorum meritorum obſervandus ſit anxie exquirendus erit. Quodſi enim Imperatores ex Auſtriacorum familia, qui continua ſe invicem ſerie exceperunt, repetas, primos illorum non adeo multis annis ab Electoribus Saxoniæ ex Miſnenſium Marchionum ſtemmate diſtinctos fuiſſe deprehendes. Prolixius, & majoribus difficultatibus implicitum opus fuiſſet, ſi ultra illos annos Cæſarum ex aliis ſtirpibus oriundorum & Saxonum mutuam amicitiam revocare voluiſſes. Adhæc quo propiora ad nos tempora accedunt, eo illuſtriora Saxonum extant merita, ut quæ ultimis ſeculis geſta fuerunt, antiqua illa, quamvis in ſe ſatis ſint glorioſa, multum tamen exſuperare videantur.

§. XVI.

Optimum proinde judicavimus, ſi ſeriem merito-

ritorum a Friederico Bellicoſo, qui primus dignitatem Electoralem in familiam Marchionum intulit, ad noſtra usque tempora pertexeremus. Tria, ſi hoc ordine incedamus, ſe ſecula offerunt, quorum ſingula ſuos ſibi heroës & illorum facinora vendicant. Hæc natura ſua rem omnem quaſi diſtinguunt, & illorum ratione habita patebit, cum annorum numero ſtudium quoque placendi Auſtriacis in dies penes Saxones majus excreviſſe, ita ut ad illa, quæ noſtri Sereniſſimi Regis auſpiciis in gratiam Auſtriæ ſuſcepta fuere, vix aliquid adhuc ſuperaddi poſſe videatur.

CAP. II.
DE MERITIS DOMVS SAXONICÆ IN S. R. IMPERIVM ET FAMILIAM AVSTRIACAM SECVLO DECIMO QVINTO.

§. I.

Friedericum Bellicoſum, ſtirpe Aſcaniorum deficiente, Rudolphi III & Alberti III in electoratu ſucceſſorem Sigismundi judicio an. 1425. extitiſſe ex omnibus rerum Saxonicarum Scriptoribus & §. VI. c. 1. conſtabit: virtute autem & fide erga Cæſa-

Cæſarem cum anteceſſoribus adhuc contendiſſe, Sigismundi diploma inveſtituræ, & facta heroica, quæ ſequuntur, evincent. Quum enim Cæſaris maximopere intereſſet, ne turbæ illo tempore in viſceribus regni Bohemiæ a Huſſitis motæ ab extraneo quodam principe & vel maxime ab Electore Saxoniæ vicino & potentia valente foverentur, talem vacanti Electoratui præficiendum exiſtimabat, qualem ſuſtinendo bello ex parte Saxoniæ aptum judicaret. Aptior inde nemo videbatur Friederico Marchione Miſniæ, qui ſagata virtute inclytus nomine Bellicoſi notatur, tum quod in prima militia in Franconia, Livonia & ipſa antea Bohemia ſtrenuam indolem probaſſet, tum vero quod opibus, & animo erga Cæſarem propenſiſſimo nemini inter Germanos cederet. Ipſi Sigismundo an. 1419 & 1420. Pragam obſidenti copias auxiliatrices adduxerat, v. Bohuslai Balbini Epitom. p. 440. & quamvis inſequenti anno menſe Junio proditione ſuorum cladem perpeſſus eſſet v. Müller. annal. ad an. 1421. quinto tamen Augusti die in eadem expeditione ad Brixiam glorioſam, ſexcentis captis & in terrorem aliorum internecioni datis, victoriam reportaverat, in cujus memoriam ap. Fabrit. in Annal. l. 2. p. 59. rythmi leguntur:

Anno

Anno milleno quadringent viceque primo
Dominici præſto ſimul Osvvaldi quoque feſto,
Marchio tunc Miſniæ Friedericus bellat honeſte
Qui prope Brux ſtravit Bojemos atque fugavit:
Plurima pars læſa ſunt & duo millia cæſa,
Gloria ſit Chriſto pro facto, jugiter iſto.

Anno quoque 1423 Johannes Polenzius præfectus copiarum Friederici Eques Miſnicus primariam Bohemiæ arcem Carlſteinium fortiter atque feliciter contra Huſſitas defenderat, v. Balbini Epitom. p. 452.

§. II.

His tam feliciter ante Electoralem dignitatem obtentam geſtis, animum illa domui jam inducta Friderico ad plura in gratiam Sigismundi ſuſcipienda addidit, & frequentes in Bohemiam ipſius copiis ſuſceptæ ſunt expeditiones, quarum tamen nulla ſingulari caſu notabilis, niſi quæ parum felici ſucceſſu an. 1426 accidit. Acceperat ſcilicet Friedericus a Sigismundo Auſſizium cum tribus aliis oppidis, ut ex illis ſtipendia Miſnicis copiis colligeret. Hujus expugnationem Huſſitæ faciliorem illo tempore futuram ſperabant, quo Friedericus Sigismundo comes in Hungaria degebat. Cingebant itaque obſidione tam gravi, ut Catharina Friederici conjux

Digitized by Google

conjux ſuæ Miſniæ, ſi deditio ſequeretur, maximopere timeret. Copiis igitur illius juſſu undiquaque collectis Saxones obſeſſis Saxonibus opem laturi in Bohemiam proficiſcebantur, ſapienti antea Catharinæ conſilio moniti, ut hoſtes velitationibus ſaltem laceſſerent, neque rem omnem prœlio crederent. Sed hoc viraginis conſilio ſuperhabito, arma conſerere non dubitabat Misnenſium Dux Boſo Vicethumius, & quum novo telorum genere, quod Hellepardem vocant, tam ſcitè Miſnenſes uterentur, ut Bohemi impetum vix ſuſtinere poſſent, diu anceps prœlium extitit. Bohemi contra haſtis uncatis equites Saxonicos ex equis detrahebant, quibus adhuc jejunis non modo cum hoſte fortiſſimo, ſed & cum calore ſolis, pulvere & fame dimicandum erat. Malam hac in parte, quod jejunos ad pugnandum duxiſſet, fidem Boſonis ſummi Ducis accuſat *Fabritius*, quaſi fratrem ſuum Bernhardum, quem repetundarum olim Friedericus poſtulaverat, perfide hac pugna ulciſci voluerit. Victi itaque campis cedebant, & omni exercitu diſſipato mori, quam in patriam redire ſinguli malebant. Flos ſanè Nobilitatis Miſnicæ, & ex unica ſaltem Kökeriziorum familia, unus & viginti perierant. Numerus cæſorum varius a Scriptoribus traditur.

 Theo-

Theobaldus in bello Huſſitico 50000, *Hagecius & Dubravius* 12000. & *Fabrit. in Origin. p.* 701. cum quo conſentit *Æneas Sylvius* p. 75. 9000. occubuiſſe refert. Nomina in illis præcipua Ducum & Nobilium nec non reliquas prœlii cruentiſſimi circumſtantias, vid. apud *Fabrit. in Orig. p.* 701. *it. Spangenberg* Mannßfeldiſche Chronicke *p.* 313. Qui in ipſo prœlio occubuerant ſub pyro ſepulti, quam quotannis florentem nullos tamen fructus tuliſſe, obſervavit *Balbinus in Epitom. p.* 468. Auſſicium poſtea impetu facto captum, dirutum, & incenſum fuit, omnibus antea civibus ac militibus præſidiariis nullo ſexus habito diſcrimine, occiſis. Annus hujus cladis more illius ſeculi ſequentibus rythmis, qui Oedipum exerceant, notatus:

Die Zeit des Krieges für Außig
Hat man geſchrieben dis Geſchick/
Ein Ring von einer Taſchen/
Vier Ohr von einer Flaſchen/
Eine Säule vor einen Thor
Und drittehalbe Creutz davor.
annus M CCCC XXVI.

§. III.

Capto Auſſicio & profligato Saxonum exercitu omnis Miſnia hoſti patebat, & affectus ille

quo

quo Cæſarem proſequebatur, procul dubio ſuis terris peſſime ceſſiſſet; niſi Deus mentem & conſilium victoribus eripuiſſet. Pilsnam enim maleſani petebant, quæ quum per annuum ſpatium impetum illorum ſuſtinuiſſet, Saxonibus tempus novas colligendi copias largiebatur. Ipſe tamen Friedericus victoriis antea adſuetus cladis nuntio perturbatur, neque animum, aut ſpem meliorum temporum colligere poterat, & illa timens, quæ poſt ipſius obitum accidere, mœrore & lenta febri confectus anno 1428. obiit. vid. *Hönnium* im Sächſiſ. Wappenbuch. *p.* 220. *Fabrit. in Orig. p.* 703. *Mullerus in Annal. ad h. a.*

§. IV.

Filii præcipuè Friedericus Placidus, a patre ante obitum admoniti: Und du mein Sohn Friederich! verhalte dich alſo bey der Chur-Würde / wie du von mir geſehen / damit du dem Reiche lieb und werth ſeyeſt. vid. Spangenbergs Mannßfeldiſche Chronicke *p.* 364. Birckens Sächſiſ. Helden-Saal *p.* 346. patriarum provinciarum & patriæ erga Cæſarem pietatis, in aula quondam Cæſaris educati, hæredes digniſſimi extiterunt. Dura ab initio fortuna utebantur, quod Bohemis irruentibus poſt fatale illud prœlium nullus exercitus objici poſſet. Levi quo-

que collecta manu, tribus vicibus anno 1429. ad Neiſſam in Sileſia anno 1430. Tauchæ in Oſterlandia, & 1431. Grimmæ fugabantur. Oppida Luſatiæ & Miſniæ diripiebantur; Dresdæ pars, quam veterem vocant, comburebatur; Gubenæ cives internecioni dabantur; Novæ Cellæ monachis crura abſcindebantur; Altenburgum & Plavia in cineres redigebantur, & omnis Miſnia ad Albim ſita usque ad Magdeburgum ære ſoluto ruinam & ignes deprecari cogebatur. Eadem vaſtatione anno 1432. per Miſniam repetita, ſuis incolis alendis impar poſtea regio videbatur, & agris incultis & Penatibus relictis fames, qua dire habita fuit regio, inſequebatur. v. *Fabric. Orig. Saxon. p.* 740. *& ſeq.*

§. V.

Victi tandem Bohemi comitate magis Sigismundi, quam armis, terris quoque Miſnenſibus ad breve tempus pax reſtituebatur. Regno enim per filiam Eliſabetham ad Albertum II. Auſtriacum devoluto, criſtas iterum erigebant, quas rerum novarum cupidi ad tempus demiſerant. Hinc eodem affectu & meliori ſucceſſu fratres Alberto II. ſuppetias ferebant, vid. **Birckens Oeſterr. Ehren-Spiegel** *p.* 500. quo ante aliquot annos, ut Cæſari inſervirent, proprias regiones in

ca-

Digitized by Google

caſum dederant. Prœlio ad Sternbergam die 22. Septembr. anno 1437. ſuſcepto, ipſum Bohemorum Ducem, qui nova moliebatur, Wilhelmum Dynaſtam in Sternberg captivum ducebant, & captivis omnibus deletis, manibus militum Miſnenſium quondam cæſorum parentabant. v. *Muller. annal. ad h. a. Fabric. Orig. Saxon. p.* 752. Pari fortuna Selmizii anno 1438. noviter collectas Bohemorum copias tribus millibus occiſis, & quatuor millibus abductis diſſipabant, ita, ut Albertus maximam partem expugnationis regni his victoriis deberet. vid. *Muller. Annal. ad h. a. Peckenſtein in fam. Witekind. p.* 14. *Fabric. in Reb. Miſnic. p.* 24.

§. VI.

Mortuo Alberto II. Bohemi de novo eligendo Rege ſolliciti Wilhelmo Duci Saxoniæ, qui Annam ultimi Regis filiam poſt illius obitum anno 1446. duxerat, regno præficere exoptabant. Sed majori ille pietate, quam imperandi libidine regebatur, & Ladislao Auſtriaco Poſthumo adhuc ſuperſtite eidem jus à patre quæſitum præripere, religioni ſibi ducebat. Denuo ab Uratislavienſibus & Luſatis oblatam coronam, Ladislao mortuo, pari modeſtia recuſabat, magis de bene adminiſtrandis ditionibus, quam am-

Digitized by Google

pliandis limitibus ſollicitus. *v. Fabric. in Orig. Sax. p. 728. Dubravium* & *Bonfinium in Hiſtor. Bohem.* Neque enim temere quis crediderit, timore belli futuri aut animi imbecillitate motum à regno Bohemiæ abſtinuiſſe, quum imperterritum animum plus vice ſimplici in bellis Bohemicis, Luzelburgicis, & quam plurimis aliis ita exhibuerit, ut de ejus heroico & gravi animo in proverbium abierit, **wenn Hertzog Wilhelm ſeine Sporen anlegte/und damit über den Hoff zu Weymar gienge/ſo hörete man es über gantz Thüringen.** vid. *Muller. Annal.* **und alle andere angräntzende Völcker.** *Fabric. Orig. Sax. p. 736.*

§. VII.

Friedericus interea *Placidus* Margaretam Erneſti Archiducis Auſtriæ filiam duxerat, & firmiorem hoc matrimonio utriusque domus amicitiam contraxerat. Natos ex hac Margareta filios *Erneſtum* ac *Albertum*, conditores illos duplicis Lineæ & adeò omnis, quæ jam viget, domus Saxonicæ, genealogiæ produnt. Summum hoc Auſtriæ beneficium reputes, quæ ex ſua Principe numeroſiſſimam prolem, qua jam ipſa indiget, noſtris conceſſit. Quod ſi inde communioni ſanguinis in amicitia aliquid tribuas, parum miraberis, nullam inter Germanos illuſtrio-

rem

rem gentem extitiſſe, quæ firmiori nexu, quam Saxonica domui Auſtriacæ ab illis temporibus juncta, illiusque promovendis commodis majori ſtudio dedita fuerit. Communes habent natales, & illum, quem Auſtriaci ſtatorem coluere, Saxones quoque in Erneſto, Friederici III. Imperatoris patre proavum venerantur. Wilhelmo fratri, cui Annam Auſtriacam nupſiſſe ſupra diximus, non æque illa felicitas procreandæ ſobolis ceſſit, quæ Friederico; & quum de ſucceſſoribus deſperaret, terras ſuas ante diviſas nepotibus ex fratre, ſola adminiſtratione illarum ad dies vitæ retenta, tradere quam relinquere maluit.

§. VIII.

Obvenerat itaque morte Friederici Placidi, & diſpoſitione Wilhelmi, Erneſto & Alberto eadem Saxoniæ pars regenda, quam avus Fridericus Bellicoſus, filii verò illius primis annis conjunctim, poſtea diſtincta cujusque portione adminiſtraverant. Altero poſt Patris obitum anno avunculum Imperatorem Neuſtadii inviſunt, & inſignibus, de more majorum fide data, ornantur. *vid. Fabric. Orig. Sax. p.* 777. His eadem cura regendarum provinciarum & amoris ſignificandi Auſtriacis ſemper fuerat, ita ut ſi pauca excipias, non liquide diſtingui poſſit, quantum quisque ope-

operæ ex ſuis Provinciis, quæ ſatis diu communi regebantur imperio, ad ſplendorem domus Auſtriacæ contulerit. Limites tamen cuique ſuos, quantum poterimus, aſſignabimus, & Erneſti tanquam Senioris inter illos primam rationem habituri, non ſilebimus, quo ſtudio & conſilio Maximiliani I. electionem in Regem Romanorum anno 1486 præſens promoverit. Perfecerat ſcilicet autoritate & eloquentia, qua dotes Maximiliani I. ex pugna & victoria Terbonenſi contra Ludovici XI. copias commendaverat, ut nemine contradicente Rex Romanorum vivo adhuc patre Friederico eligeretur. *v. Fabric. Orig. Sax. p. 792.* Quoad reliqua pacis artibus magis adſuetus quam belli, conſilio potius quam armis, quæ Alberto fratri in deliciis erant, rem Romanam & Auſtriacam adauxit.

§. IX.

Albertus itaque laude & gloria bellica celeberrimus ſui ſeculi Princeps extitit, & pro duobus avunculis Friederico III. & Maximiliano rebus extra Patriam geſtis agnatis ſaluti, hoſtibus vero terrori fuit; ita ut Maximiliani teſtimonio, Friedericus Viennam, ipſe autem vitam illi debuerit. vid. *Schurtzfl. in not. ad Mich. Bojem. vit. ALBERT.* Hic, Electore fratre acceptis inſignibus ad ſuos

ex

Digitized by Google

ex aula Cæſaris redeunte, in illa per annuum adhuc ſpatium manſit; donec uxoris & ſtatuum precibus domum revocaretur, ut paternis avitisque artibus, quas in exteris terris corrumpi poſſe metuebant, apud ſuos inſtitueretur. v. *Fabrit. Orig. Sax. p.* 800. Tirocinia militiæ in caſtris fratris contra Plavienſes fecerat, & ſemel illis implicitus, arma per omnem vitam rarius exuebat.

§. X.

Exarſerat interea bellum graviſſimum inter Friedericum III. & Matthiam Hungariæ Regem, quod Kunigunda Imperatoris filia Hungaro nubere nollet, & ipſe Imperator Iohannem Archiepiſcopum Granenſem exulem recepiſſet. His cauſis offenſus Matthias omnem Auſtriam milite Hungarico depopulabatur, & ipſius metropoli Viennæ obſidionem parabat. Albertus Prodigus frater germanus Cæſaris magis Matthiam adhuc incitabat; quo facto, quum à ſuis deſtitueretur, *Albertum Saxonem* in auxilium Cæſar vocabat. Hic omnibus rebus domeſticis poſthabitis, ut dignitatem imperii & Auſtriacum nomen vendicaret, Matthiæ ſe oppoſuit, & equitatu ſuo aduolauit; qui, quod gravior incederet, raro Matthiam graſſantem cum præda adſequi potuit. Manibus ſæpius utrinque

Digitized by Google

conſertis induciæ ſecutæ & pace reſtituta, domum Albertus anno 1474. rediit. *v. Fabric. Orig. Sax. p.* 804. Cum autem Matthias iterum 1481. exercitu eandem Auſtriam premeret, denuo advocatus Albertus comparuit, & ex agro Lorchicenſi trans flumen Anaſum Hungaros fugavit. Trigam Stiriæ oppidum poſtea ab obſidione Hungarorum liberavit, & in Comitiis Norimbergenſibus publice rogatus, quamvis a ſuis admoneretur, ne Regem fortiſſimum æque ac potentiſſimum laceſſeret, novas iterum in Auſtriam copias eduxit. Dixiſſe Matthiam ferunt, neminem ſuis militibus præter Albertum reſiſtere poſſe, & eum ſolum e cæteris Germaniæ principibus ducem nominandum; quo abſente, ſe brevi in media Germania caſtra poſiturum. *v. Fabric. Orig. Saxon. p.* 813. *Cuſpinian. in vit. Fried. III.* Lincium cum veniſſet ad viſendum Imperatorem, neque tormenta, neque pecuniam invenerat, & ex omni nobilitate Auſtriaca duos tantum paratos, qui ſub ſignis militarent, reperiebat. Neque his ipſius animus imminutus fuit, ut potius cum aliquot millia congregaſſet, ex ſuis, quum Cæſar ipſe æris indigeret, frementibus & diſceſſum parantibus ſtipendia exſolveret. Hungaris inopinantibus ſupervenit, & turmis eorum diſſipatis, Au-

ſtriæ

Digitized by Google

ſtriæ incolis ſpemque animumque pugnandi iterum addidit. Caſtris mox de nouo contra Hungaros motis, colloquio in urbe Hippolyti cum Matthia inſtituto, in ſui majorem admirationem eundem pertraxit, & de induciis cum eodem transegit. *Fabric. Orig. Sax. p.* 812. & 13. *Brunii Triad. Electoral. p.* 308. *Bojem. in vita Alberti.*

§. XI.

Exorto poſtea diſſidio inter Rupertum Antiſtitem Colonienſem & Canonicorum Collegium, ille Carolum Burgundum, hoc vero Hermannum Haſſiæ Landgrafium evocaverat. Carolus Noveſio ad Rheni ripam ſito, quod Hermannus tenebat, gravi obſidione imminebat, cui ſolvendæ, ne Archiepiſcopatus Colonienſis oppida Principi extraneo cederent, Friedericus III. Germanorum & in illis Saxonicas quoque copias, quibus ipſe Albertus præerat, conſcribebat: Hoc præſente Carolus de expugnatione deſperans, re infecta diſceſſit, *vid. Fabrit. Orig. Saxon. p.* 805. Birckens Oeſterreichiſcher Ehren-Spiegel. L. V. c. 23.

§. XII.

Maximilianus I. Rex Romanorum deſignatus, quum in Flandriam non majori, quam antea conſveverat, pompa veniſſet, contemni à ſuis

cœpit. Ad hæc avaritia & rapacitas quæſtorum, quos ex gregariis militibus & humili loco natos ſuis rebus præfecerat, odium vulgi in ipſum Regem inſimul derivaverat. Ipſum itaque Maximilianum, quum Brugas veniſſet, rebelles captivum detinent; *v. Ren. Snoum rer. Batav. L. XII. p.176.* ad quem liberandum Pontifex banno, Albertus autem aliis adhuc Principibus adjutus armis ſe accinxit. *v. Brunnii Triad. Elector. p.* 310. Detinere illum lites potuiſſent, quas Ladislaus Bohemiæ Rex cum Friederico fratris filio habebat, nec non periculum quod ipſis Saxonicis provinciis ab irato de novo Matthia imminebat. Nobilium quoque Saxonum pertinacia accedebat, qui expeditionem, quod ſe alienis & nimis gravibus negotiis immiſceret, diſſuadebant. His non obſtantibus in conventu Dresdenſi publice profitebatur, ſe malle pauperem vivere, quam tantam nomini Germanico & Auſtriaco Principi illatam injuriam non ulciſci: Iturum potius bonis auſpiciis, & illis qui non inviti ſequerentur, gratiam ſe habiturum. Per Haſſiam itaque cum omni equitatu contendit, & Spangenbergi Maximilianum juramento de pœnis in rebelles non ſumendis liberatum, cognoſcit. Nihilominus ut fidem teſtaretur, Belgium adhuc petit, & Mechlinii extra mœnia

nia

Digitized by Google

nia à Maximiliano excipitur. Prœliis dein levibus proſpere ac feliciter cum Gandavenſibus decernit, & ab ipſo Friederico III. pater ſuorum, filii ſcilicet & nepotis, publice compellatur. Totius poſtea Belgii gubernator judicio Maximiliani, convocatis Mechlinium Ordinibus, conſtituitur. Birckens Oeſterreichiſcher Ehren-Spiegel *p*.1000. vid. *Franc. Haræi Annales Brabantiæ p.* 478. Belgæ quamvis extraneum & bellicoſum Principem ſibi moderatorem datum ægre ferrent, ad tempus tamen milite Saxonico & prudentia Alberti in officio continebantur.

§. XIII.

Incidit in illa tempora defectio Philippi Ravenſteinii à Maximiliano, qui cum Sluſam & alias urbes occupaſſet, iisdem iterum ejiciendus erat. Albertus itaque gravius bellum inſtare prævidens, ſingulos ex proceribus convocat, & raram illorum fidem, odium vero omnium erga Regem comperit. Deficiebant adhuc plurimæ urbes & tacita cum Rege Galliarum fœdera agitabantur. Conſilium itaque optimum in armis poſitum eſſe ratus, Grimbergam impetu facto expugnat, in agrum Brugenſem progreditur, & Thamum, quod aperto Marte aggredi plenum opus aleæ eſſet, aſtu capit. *vid. Fabrit. in Orig.*

Digitized by Google

Saxon. p. 819. Ravenſteinius interea quod inopiam Maximiliani noſſet, veteranos Cæſaris ſub ſignis Alberti ſollicitat, ut niſi ſtipendia ſolverentur, diſcederent. Hi, ſeditione facta, ſingulari comitate Alberti, & ex proprio peculio, quantum ſupereſſet, pecunia ſoluta, ad officium rediguntur. Hannoniam poſtea ingreditur, Halam obſidione Ravenſteinii cinctam liberat, & ipſum turbarum Ducem gravius copiis ſuis urget.

§. XIV.

Arſchoti dein obſidionem molitur, quod Wilhelmus Comes Arnbergius, ut mortem parentis ob rebellionem a Maximiliano ſupplicio affecti ulciſceretur, contra Cæſarem defendendum ſuſceperat. Ter impetu facto, ter quoque pellitur, ita ut de expugnatione deſperans diſcedere jam cogitaret. Arſchotii autem ludibriis adhuc eundem deridebant, & ſcrofa colum fuſosque tenente pinnis murorum impoſita, tum potiturum oppido Saxonem clamant, cum ſcrofa penſa illa traxiſſet. Poſthæc bacchantium more per omnes vicos ſcrofam agitant, & clamoribus ac tripudiis omnem urbem implent. Albertus, ſimulato itinere ad oppidum divi Trudonis, nocte VI. Non. Maj. petulantiam caſtigaturus, revertitur, & ſomno urbem ſepultam aggreſ-

ſus,

Digitized by Google

ſus, diluculo ingruente eandem occupat. Urbs poſtea diripitur, & ipſi cives triumphi ridiculi pœnas promeritas dedere. vid. *Fabrit. in Orig. Saxon. p.* 822. Birckens Oeſterr. Ehren-Spiegel. *p.* 1011. *Haræi Annal. Brabant. T. II. p.* 479.

§. XV.

Thenas poſtea petit, & quamvis præſidio ſeptem millium defenderentur, Arſchoti excidio perterritas, paucis diebus deditione facta in gratiam recipit. v. *Haræum in Annal. T. II. pag.* 480. Senatus & populus Lovanienſis & Bruxellenſis ſponte ſua venere, & claves inſimul urbis offerentes certis conditionibus admittuntur. *v. Fabrit. l. c. p.* 226. Pacata hoc felici rerum ſucceſſu Brabantia, Flandria & Hannonia, Comitia Norimbergenſia anno 1441. frequentat, in quibus publice ipſi grates pro rebus feliciter geſtis ab Imperii Ordinibus habentur, a Rege vero in majus amicitiæ teſtimonium, Eques aurei velleris declaratur. Ipſe domum poſtea in terras ſuas revertitur, & vt finem bello Belgico brevi imponeret, equitatum inſignem ex illis colligit.

§. XVI.

Inſequenti anno tenentibus adhuc Sluſam Ravenſteinio, & Wourdam Montfortiis fratribus (*v. Ren. Sno. rer. Batav. L. XII. pag.* 177.) tran-

quillitati finitimarum regionum conſulturus, ne excurſionibus militum ex illis caſtellis amplius vexarentur, Wourdæ obſidionem ſuſcipiebat. *v. Ren. Snoum l. c. p.* 178. Hanc itaque tam gravi opprimebat, ut Montfortii fratres animos demitterent, & Alberti interceſſione veniam perfidiæ a Rege impetrarent. v. *Haræum in Annal. Brabant. T. II. p.* 482. Reſtabat itaque ſolus adhuc Ravenſteinius, qui Gandavenſes, Hannonios, Hollandos & Friſios variis artibus corruperat, illosque perſvaſione Albertum ſuis potius quam Regis commodis invigilare in ſuas partes traxerat. Hollandi itaque & Friſii Harlemo expugnato ulterius progrediuntur, ſed improvidi in equitatum Alberti incidentes gravi clade adfecti Harlemum iterum amittunt. vid. *Ren. Snoum l. c. p.* 179. His devictis in Seelandiam trajicit, omnesque Inſulas Maximiliano juramento de novo obſtringit.

§. XVII.

E Seelandia poſt tres menſes cum omni exercitu Mechlinum diſcedens, & filio Heinrico ad vaſtationem agri Gandavenſis, quo fame poſtea premeretur civitas, miſſo, novam contra rebelles in Flandria expeditionem molitur. Conſilium agri diripiendi ex voto ceſſerat, & mota plebe, penuria & commeatus inopia, ſub amneſtiæ conditio-

tione, cives Gandavum offerunt, & ad officium fame adducti redeunt. Sluſam dein ultimum Ravenſteinii receptaculum obſidione cingit; (*Ren. Snoum l. c. p.* 179.) de quo cum Ravenſteinius deſperaret, in Galliam aufugit. Oppidum brevi tempore gratiam Alberti & Regis ambit, *v. Haræum in Annal. Brabant. T. II. p.* 488. & eodem recepto, omne Belgium virtute Alberti priſtino domino Maximiliano reſtituitur.

§. XVIII.

Devictis rebellibus in Belgio, Maximilianus anno 1495. in Comitiis Wormatienſibus de expeditione Italica, quam Galli magnam partem tenebant, deliberat. Albertum inde Imperator & Ordines adeunt, velit eadem dexteritate, qua dotales Provincias domui Auſtriacæ reſtituerat, partes imperii erga Gallum in ſe ſuſcipere, ſeque ſummum publico nomine Ducem conſtitui patiatur. Ipſe Albertus quamvis illa pecunia nondum reſtituta eſſet, quam in ſumptus belli Belgici erogaverat, honorifico de ſe judicio gaviſus, nullo tempore ſe ſaluti communi defuturum ſpondebat. *v. Fabrit. Orig. Sax. p.* 835.

§. XIX.

Fatale dein Alberto donum Friſiæ regio a Maximiliano offerebatur, uti ſupra c. I. §. 8. monui-

nuimus. Huic perdomandæ ſe accingebat, quod incolæ illius S. R. Imperio rebelles in Zeelandiam excurriſſent, & Comites Embdani illius adventum, quo rebus patriæ conſulerent, præoptaſſent. Conducto igitur milite veterano, quem Maximilianus quondam aluerat, Friſiorum diſcordia ad ſuum commodum utebatur, & Edzardo Comite adjutus Bolswerdæ, Franicæ, Bergæ & aliis oppidis in plaga occidentali præſidia imponebat. Reliquam Friſiæ partem mox ad officium adduxit, & filio Henrico illi gubernatore admoto Saxoniam petit. Friſiis ætas Henrici contemnebatur, & Franicam, ut captivum abducerent, obſidebant. Hinc continentibus itineribus iterum in Friſiam contendit, Henricum hoſtium manibus eripit, & magna illorum ſtrage edita in Groningenſes, qui rebellionis autores credebantur, caſtra movit. Agro direpto ipſam metropolin oppugnat. vid. *Ren. Snoum rer. Batav. p.* 101. *Haræum in annal. Brabant. T. II. p.* 502. verum febri correptus ex caſtris Embdam ægrotus deportatur. Ibi filios abſentes per Edzardum Comitem admonet, ut patriam ſemper & Rempublicam defenderent, qua re nihil ipſi, ante hoc tempus in vita, etiam in momento mortis antiquius & ſanctius fuiſſet. Octavo dein morbi die pridie Id. Septembr. anno

no 1500. fato functus, & Miſenam in patrium monumentum poſtea illatus eſt. v. *Fabric. in Orig. Saxon. pag.* 833. *Paul. Langium in Chron. Citizenſ. p.* 387.

§. XX.

Mortem illius non Saxonia tantum & Auſtria, cujus gratia toties diſcrimina vitæ ſubierat, dolebant, ſed omnis Germania *dextram* (uti ipſum Innocentius VIII. quum aurea roſa donaſſet, in literis appellavit, vid. *Fabrit. Orig. Saxon. pag.* 830.) ſibi ipſius fato reſciſſam lugebat. Nomina illa, Animoſi, dextræ imperii, Hectoris Germani, Rolandi Belgici, quæ ſæpius ab hoſtibus v. ſupr. §. X. in ipſo virtutem laudantibus, tulit, heroicum animum poſteris adhuc ſignificant. Affectum vero erga Patriam, quo nemini unquam fuit ſecundus, non modo expeditiones ſine ulla ſpe lucri & cum ſummo vitæ periculo ſuſceptæ loquuntur; ſed & verba produnt, quæ ipſius ore prolata allegat *Hortleder T. I. p.* 1514. Er wolle ſich gerne hencken laſſen/ wenn er nur dem Römiſchen Reich damit aus ſeinen Nöthen zu helffen wüſte. Nulla adhæc inani titulorum gloria ducebatur quum coronam Bojemicam poſt Georgii mortem ipſi oblatam (*Mich. Bojem. in vit. ipſius*) generoſe recuſaverit, & ſi gloriæ aliquid tribueret, bellicæ tantum ad-

quirendæ erat quam ſtudioſiſſimus. Nihil magis doluiſſe ferunt, quam, quod debellatis aliis hoſtibus imperii, ipſi non licuiſſet, Turcas nominis Chriſtiani & Germanici æternos hoſtes vincere. vid. *Michael Bojem. in vita ejus.* Verum hic campus ſucceſſoribus divina providentia reſervatus videbatur, qui uti ex ſequentibus conſtabit, in illo tantum victoriarum & gloriæ ſpatium ſunt emenſi, quantum Albertus noſter in bellis Belgicis quondam percurrerat.

CAP. III.

DE MERITIS DOMVS SAXONICÆ IN S. R. IMPERIVM ET FAMILIAM AVSTRIACAM SECVLO DECIMO SEXTO.

§. I.

OMni Saxonum gente poſt Friderici Placidi obitum in duas diviſa lineas, quarum illa, quæ à primogenito deſcendit, à conditoris nomine *Erneſtina*, altera pari ratione *Albertina* vocata fuit; utriusque ampliſſima quoque in Auſtriacorum familiam proſtant merita. Digniſſimum ſcili-

li-

Digitized by Google

licet Erneſtus Electoratus & animi erga S. R. Imperium hæredem *Friedericum* reliquerat Anno 1486, cui ſapientia, qua præ reliquis Germaniæ ducibus pollebat, cognomen *Sapientis* indidit. Hac dictitante, eo ſemper ferebatur; ut amicitiam cum Auſtriacis ſibi ſuæque regioni vicinis ſancte coleret, eosdemque conſilio & opibus, quantum poſſet, ſemper adjuvaret. Maximiliano enim in Comitiis Wormatienſibus, anno 1495. de pace publica confirmanda, nec non publico cameræ Imperialis judicio & Senatu Imperii perpetuo inſtituendo, cogitante, ſvaſor auctorque reliquis Ordinibus extitit, ut Imperatoris voluntati ſubſcriberent. *Fabric. orig. Saxon. l. VIII. pag.* 12. Pari fide erga Cæſarem anno 1512. in Comitiis Trevirenſibus verſatus eſt: *Fabric. l. c. p.* 14. Maximiliano per omnem vitam amiciſſimus fuit; ita ut nihil ipſo non in conſilium vocato Imperator ſtatuerit. Qua fide denique, quave prudentia ſpartam Locum tenentis generalis a Maximiliano oblatam geſſerit, & adeo domui Auſtriacæ in ſuſtinendis imperii oneribus levamini fuerit, *Schurzfl. in vit. Frieder. III, Spalatinus*, & alii, quos v. *ſupra c. I.* §. *IX.* memorant.

Digitized by Google

§. II.

Maximiliani poſtea ingraveſcente ætate & eodem de ſucceſſore, quem Carolum Nepotem præoptabat, ſollicito, in Comitiis Auguſtanis vivente adhuc Maximiliano anno 1518. egregie animos reliquorum Electorum præparavit. Quum enim Ludovicus Elector Palatinus comitia illa frequentare nollet, & in illis de ſubſtituendo Carolo agi, ægre ferret, Friedericus Sapiens recenſendo merita Maximiliani, ipſi Ludovico perſvaſit, ut mutato animo ſumma benevolentia & voto Carolum V. poſtea amplecteretur. *vid. Hubert. Th. Leodium in Fried. II. Palat. l. 4. p. 65.*

§. III.

Ipſis Comitiis anno inſequenti ad electionem novi Cæſaris perficiendam inſtitutis intererat, & eadem autoritate & conſilio, qua omnem ferme Germaniam moderabatur, electionem dirigebat. Electoribus itaque communi ſuffragio ipſi Cæſaream dignitatem offerentibus, eodem animo per triduum recuſabat, quo quondam Friedericus Gravis (*v. Albert. Argentin. Chron. p. 145.*) idem diadema Carolo IV. reliquerat. *vid. Sleid. l. I. Fabric. in Orig. Saxon. L. VIII. p. 15.* Carolum potius Maximiliani nepotem, memor avitæ pro ipſo interceſſionis, multis nominibus commendabat;

tan-

Digitized by Google

tandemque ſua gravitate ita reliquorum Electorum animos pervicit, ut Saxonis Sapientis ſuaſu permoti, in eandem cum illo irent ſententiam. Quamvis itaque Hiſpani de hoc tamque præclaro Friederici erga Carolum merito ingrati ſileant; imo ex nova Chronologiæ Funccianæ editione idem deleverint, id quod obſervavit *Schurtzfl. in not. ad vit. Alberti per Michael. Bojem. p.* 121.; alii tamen iique coævi, neque Proteſtantium aut Saxonicarum partium ſtudioſi, illud ingenue fatentur. *Eraſmus* certe teſtimonio Epiſcopi Leodienſis, qui præſens in Comitiis fuiſſet, *L. XIII. Epiſt. ad Johann. Epiſc. Roffenſem* affirmat *nunquam Imperii titulum Carolo contingere potuiſſe, niſi Friedericus deprecatus eſſet; clarior honore contempto, quam fuiſſet adepto.*

§. IV.

Confirmata itaque ipſius ope de novo in Cæſarea dignitate Auſtriacorum familia, legati Regis Hiſpaniarum triginta millia aureorum ipſi offerebant, quæ munificam novi Imperatoris indolem ipſi ſignificarent. Sed eodem, quo ſummos Imperii honores detrectaverat animo, donum illud accipere recuſabat. Quum adhuc rogaretur, ut decem millia in famulos diſtribui permitteret, indignabundus dixiſſe fertur: *Accipiant*

Digitized by Google

piant ſane meo permiſſu, ſi velint, mei, ſed hoc omnino ſciant; quicunque coronatum acceperit, locum amplius obtinere inter aulicos meos minime me conceſſurum. Fabric. Orig. Sax. L. VIII. p. 15. Auro non pervium ipſius animum Cæſar humanitate & veneratione poſtea eſt proſecutus; ut ſi quid gravioris momenti decidendum fuerit, ſolemni formula ſit uſus: Wir wollen erſt Vater Churfürſt Friedrichen fragen *v. Albin. Sax. hiſtor. p.* 150.

§. V.

Novo adhuc beneficii genere non modo domum Auſtriacam, ſed & omnem Germaniam in ipſo electionis actu ſibi devinxerat, quod Septemviris autor fuiſſet, peculiaris, & hactenus apud Germanos inauditæ cum eligendo Imperatore pactionis condendæ, quæ proprio poſtea nomine, & pragmatico more *Capitulatio* vocabatur. Una ſcilicet eademque opera & amorem fidemque Saxonicam erga Auſtriam, & prudentiam Electoribus, & ſollicitudinem omnibus Ordinibus approbaverat, quum uti *Sleidanus L. I.* refert, Carolum *certis legibus, ut Germaniæ ſua libertas conſtaret, eligendum*, ſvaderet. *conf. Schurtzfl. diſſert.* qua Frieder. III. vitam tradidit.

§. VI. Non

Digitized by Google

§. VI.

Non opus erit,ut illa addamus, quæ ſingulis menſibus & annis ad mortem usque in certiſſimam Auſtriacæ domus ſalutem literis & conſiliis ad Carol. V. datis ſuſceperit; quum omnes illorum temporum ſcriptores in gravitate & ſpectata erga Imperium fide conſentiant. Tribus ex Auſtriaca gente Imperatoribus conſtantiam & fidem probaverat, & trigeſies comitiis & conventibus ſalutariter illum interfuiſſe refert *Fabricius Orig. Sax. L. VIII. p.* 20. Dictus inde *amator pacis, prudentiſſimus princeps, ſapiens, conſiliorum theſaurus, defenſor legum, controverſiarum finis, Imperii Romani columen, patriæ monumentum, morum ſpectaculum, decus Principum, diſciplina civium. vid. Melanchth. t. 2. declam. in Orat. de eo habita. Laurent. Fauſtum de Elect. Saxon. p.* 181. *Reuſneri Stemm. Witikind. p.* 43.

§. VII.

Patrui illius, Georgius & Heinricus ex Alberto geniti, eodem amore erga Auſtriam & Germaniam ferebantur. De his, quamvis non ſingularia & præ reliquis notanda illorum merita proſtent; non tacendum tamen Georgium, Maximiliano I. in Comitiis Auguſtanis anno 1510. de bello contra Venetos deliberanti, item anno 1518. bellum contra Turcas paranti ſemper ad-

 fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe, & anno 1525. tumultu ruſticorum excitato illi cohibendo ſtrenuam operam navaſſe. *Fabrit. L. VII. Orig. Saxon. it. Piſtor. epiſtol. ad Fabrit.* 16. *p.* 884. Anno 1526. Ferdinandum Pragæ viſitabat, & firmiorem adhuc anno 1530. in Comitiis Auguſtanis amicitiam ob communionem ſacrorum cum Carolo V. & Ferdinando I. contrahebat. Huic per omnem vitam ſancte cultæ, ut ultima quoque voluntate ſatisfaceret, teſtamento caverat, ne frater Heinricus ſuccederet, niſi novam, quam tunc vocabant, doctrinam Evangelicam ejuraret. Hæredes ſuarum provinciarum Carolum V. & Ferdinandum I. fratres inſtituebat, & procul dubio vivus adhuc illis tradidiſſet, niſi morte anno 1539. præventus, amorem erga Auſtriam cum vita inſimul amiſiſſet. *vid. Fabrit. Orig. Saxon. L. VII. p.* 877.

§. VIII.

Heinricus itidem frater Georgii ſub auſpiciis Patris continuo bellis Belgicis interfuit, & in Wourdæ, Harlemi, & Sluſæ expugnatione talem ſe exhibuit, qualem Alberti Animoſi filium decebat. Turbis dein ruſticorum motis in illis ſedandis ipſe quoque præ aliis occupatus fuit, neque ullis motibus, illo ſeculo per Germaniam frequentibus, immiſceri ſe unquam poſtea paſſus eſt,

ſed

Digitized by Google

ſed tranquilla ſenectute anno 1541. obiit. *Fabrit. L. VII.*

§. IX.

Electorem interea Friedericum Sapientem frater *Johannes Conſtans*, Ducem vero Heinricum Pium filius *Mauritius* exceperat. Vtriusque merita ordine tradenda. Quod itaque Johannem Conſtantem attinet, puerum adhuc ſex annorum expeditioni contra Matthiam 1474. interfuiſſe ferunt, & quum magis in aula Friederici III. Imperatoris adoleviſſet, in itinere Italico ipſi comitem extitiſſe refert *Cranz. in Saxon.* Auſpiciis quoque Maximiliani I. primum Auſtriacorum cauſam in Pannonia inferiori, dein in Italia Transpadana defendit. Inſigne virtutis bellicæ & imperterriti animi ſpecimen dicas, quum in obſidione Albæ Regalis anno 1490. inter primos mœnia celeri auſu conſcenderet, & in huius rei teſtimonium a Maximilian. I. corona murali ornaretur. *vid. Fabrit. Orig. Saxon. p. 23.* Ad comprimendos motus ruſticorum auxilia Georgio ſubminiſtravit, & ipſi ad ſedandos illos ſuas partes commiſit v. *Piſtor. epiſt. ſupr. alleg.* De filio eius Johanne Friederico qui libertatem conſcientiæ ſtrenue defendit, nihil dicendum ſupereſt, præter quod bellis cum

 Au-

Auſtriacis de illa geſtis, non tam ipſe Autor ruptæ amicitiæ ſit credendus, quam perſuaſio divinum cultum promovendi, qua vtraque pars regebatur. Ipſum Carolum V. raro factorum ſuorum pœnitentem in cœnobio Hiſpanico ad meliorem mentem rediiſſe, & doluiſſe, quod huic Magnanimo Electori ægre fecerit, verba probant: hätten wir dem Mann ſeyn laſſen/ wer er war/ ſo wären wir auch/ wer wir waren. *vid. Sagittar. in vit. Joh. Frieder. p. 62.*

§. X.

Mauritius contra Heinrici Pii ſucceſſor Cæſari carus & imperio fidus tot præclara pro Auſtriacorum ſalute, & Imperii libertate geſſerat, quot a nullo illius ſeculi principe peracta legas. Primo Ducatus ſui anno 1541. quum in villa Luigana agri Patavini a Piſano Cardinali extructa ſortes e Virgilio ab eruditis viris recreationis gratia extraherentur, ipſi maxima quæque portendens ceſſit,

Curibus parvis, ac paupere terra
Miſſus in imperium magnum.

Huic omini multum tribuens, nil niſi gloriæ aucupandæ occaſionem quærebat, & quum Saxonia ipſum non caperet, bello Hungarico ad Budam & Peſtum recuperandum ſe accingebat. Facta

in

in illo velitatione cum hoſtibus, in ultimum vitæ diſcrimen ab equo deiectus & miſſilibus pene obrutus adducitur. Adjutus autem ope Sebaſtiani Ribiſſii, qui corpus conficiendum telis hoſtium objecerat, & equitatus ſui interventu, duce Melchiore a Wangenheim, ſingulari divina providentia ſervatur. *Arnold. vit. mss. Fabrit. in Annal. L. IX. p.* 97.

§. XI.

Ex Hungaria rediens, inſequenti anno 1547. Carolo V. Landreſium menſe Octobris obſidenti voluntarie militat, eundemque in ſui admirationem & amorem trahit. Hac Cæſaris humanitate pellectus Ducis acerrimi officium in Belgio ao. 1544. tuetur, & arctiori Caroli V. amicitia dignus habetur. *Arnold. in vit. ejus mss. & Fabrit. L.* 10. Pace in Belgio confecta, Ferdinando I. Bohemiæ regi contra rebelles, qui Caſparem Pflugium regem interea elegerant, ſtudia ſua vovet; & quamvis Bohemi in ſuas partes eundem pertrahere allaborarent, exercitu tamen Duce Thumbshirnio in Bohemiam miſſo, plura oppida Ferdinando reſtituit. Ipſe poſtea bello Saxonico confecto, comes Ferdinandi fuit ad omne regnum pacandum, & Praga ipſius copiis capta, tantam gratiam Ferdinandi I. aucupatur, quantam ob auxilium præſti-

tum a gratiſſimo animo expectare poterat. Familiaritatem, quam in itinere contraxerant, per omnem vitam ſancte ab utraque parte coluere; & plura amoris erga Ferdinandum teſtimonia poſtero tempore edita fidem faciunt, æque magnum fuiſſe Mauritii erga illum affectum, ac Ferdinandi, qua Mauritium dignabatur, gratiam. *Arnold. vit. MSS. Maurit.*

§. XII.

Nova interea ſacrorum per reformationem mutatione facta, & ad defendendam illam contra Cæſarem & oppreſſores fœdere inter Proteſtantes Smalcaldico inito & confirmato, illi ſubſcribere, fide erga Cæſarem motus, dubitabat. *Arnold. in vit. mss. Politique de la maiſon d' Autriche.* Hoc fœdus ut Imperator diſſolveret, Mauritio ſua caſtra ſequeretur, perſvaſit; & ipſe amicitia Cæſaris, & metu potentiæ allectus ſuis copiis eadem adauxit. Quum itaque felicis ſucceſſus haud ultima laus Mauritio tribuenda eſſet, qui Electorem Johann. Friedericum Cæſaris exercitui graviter imminentem, bello in propriis terris moto, regredi coëgerat, primum quoque navatæ operæ præmium Electoralem dignitatem a Carolo V., & feuda Bohemica, quibus Johannes Friedericus, ob mota contra Dominum Feudi arma, excidiſſe

ſe credebatur, a Ferdinand. I. accipiebat. *v. Fabrit. l. c. Sleid. L. XX.* Ipſi Philippo magnanimo Haſſiæ Landgrafio ſocero, qui ſolus adhuc inter Proteſtantes copiis & opibus valebat, auctor exiſtebat, ut Cæſaris gratiam ambiret, & certis conditionibus arma exueret. Devicti ergo Mauritii armis & conſilio duo principes, quorum potentia ipſi Cæſari metuenda, & Domui Auſtriacæ eo gravior videbatur, quo infenſiores animo ab eadem metuebantur.

§. XIII.

Rebus hic feliciter geſtis, varia futuræ diſcordiæ ſemina ſpargebantur, quibus arctior cum Cæſare amicitia turbabatur. Cavillatio illa, qua Granvellanus fidem ſancte a Cæſare datam, poſtea vero violatam, de non captivo detinendo Philippo Haſſiaco, excuſaverat, tam indigna Mauritio videbatur; ut illo tempore de liberandis captivis Principibus cogitaverit. Ægrius adhuc ferebat, quod Carolus V. patruum Joh. Frieder. Elect. duriori cuſtodia, quam dignitas Electoris ferret, detineret. Accedebat ad hæc, quod Carolus V. non tantum transactionis cum Pontificiis formulam, ſub titulo INTERIM, Proteſtantibus obtrudere; ſed & Mauritio præcipue perſvadere vellet, ut Theologos ſuos ad Concilium Tridentinum, in

quo

Digitized by Google

quo omnia aſtu agi ſciebat, mitteret. Quum itaque anno 1550. ad Comitia Auguſtana ab Imperatore invitaretur, adhuc ſuſpicatus Cæſarem in illis de filio Philippo Hiſpano, quem inſimul adduxerat, ſubſtituendo acturum, bellum Magdeburgenſe abſentiæ cauſam prætendebat. Urbis hujus, quod librum illum INTERIM appellatum reſpueret, Imperii nomine & ſumptibus obſidio ipſi demandata fuerat, & exinde omnem apparatum bellicum ad ſuſcipiendum adduxerat. Werdenſem exercitum, cui Heideccius Comes & Volhardus Mansfeldicus, ad defendendam urbem præfuerant, prudentia ſua diſſipabat, & gregariis militibus ſub juramento ne intra ſex menſes contra Imperatorem arma ferrent dimiſſis, quinque veteranorum cohortes ex illis in ſua caſtra recipiebat. Hæc clades, quamvis gravior Magdeburgenſibus de ſua ſalute deſperantibus videretur; ſalutaris tamen illis extitit, quod Heideccius Comes ad Mauritium ductus, eidem ſuo eloquio perſuaſerit, ut æquiori Magdeburgenſes animo admitteret, & ſoluta obſidione de armis pro libertate Germaniæ, Principum & religionis contra Cæſarem vertendis deliberaret. *v. Fabrit. Orig. Saxon. L. IX. p.* 102. *&* 3. *&* *Müller. annal. ad ann.* 1550. *Beſſelmeieri Bell. Mag-*

Digitized by Google

Magdeburg. apud Schard. T. 2. p. 1684. & Hortleder. T. 2. L. IV.

§. XIV.

Quum itaque ex duobus malis, aut amicitiæ quondam cum Cæſare firmiſſimæ jura lædenda, aut Germaniæ libertatem illi poſtponendam judicaret; nimis carum pretium continuandæ illius amicitiæ, quo redimeretur, ſervitutem patriæ & conſcientiæ exiſtimabat. Bis itaque in conſilium Principibus Brandenburgicis, Megalopolitanis, & Haſſiacis vocatis, legatos Auguſtam mittit, qui Ferdinand. I. Chriſtian. III. Dan. Reg. & quam plurimorum principum, quibus multum Cæſarem tribuere noverant, interceſſionibus adjuti, Philippum carcere liberandum rogarent. His incertum & dubium Cæſaris reſponſum ferentibus, Mauritius cum Guilielmo Haſſiaco continentibus itineribus Auguſtam tendit, & capta urbe aditus Alpium Rheticarum occupat. Oenipontem petebat, & tanta celeritate in viſcera Tироliæ pervaſerat, ut Carolus cum Ferdinando, noctu facibus accenſis Villacum ſe reciperet. Inter lauta ſpolia militibus diripienda, ſarcinis Ferdinandi tantum peperciſſe ferunt, id quod arguit, quanti adhuc Ferdinandum ſemper fecerit. Cæſare præter opinionem ferme oppreſſo, Ferdinandus I. con-

ventum Paſſavienſem inſtituebat, in quo, liberatis Principibus ac libertate Germaniæ ac religionis reſtituta, eodem animo, quo ſumſerat, arma exuebat, iisdemque poſtea pro Cæſare utebatur. *vid. Thuan. Hiſtor. L. X. Fabric. Orig. Saxon. L. IX. pag.* 106. *Sleidan. L. XXIV. Hortleder. in cauſ. bell. Germ: T.* 2. *c.* 5.

§. XV.

Pace enim facta, eodem adhuc anno, Solimanni copiis in Hungaria occurrit, iisdemque fugatis, ab ulteriori invaſione deterret; Danubii Inſulas munit, & terrore ſui nominis Turcis injecto, uno anno contra maximos orbis Monarchas occidentalem & orientem victor, in patriam revertitur. *Fabrit. p.* 109. Turbas in vicinia Albertus Marchio Brandenb. excitaverat, & ab Imperatore de novo, quod contra conventionem Paſſavienſem, in Franconia prædas ageret, neque militem dimitteret, anno 1553. proſcriptus fuerat. Juſſu proinde Cæſaris & Imperii Mauritio Marchio perdomandus tradebatur, qui amice monitus Mauritii perfidiam, qua amicitiæ jura violaſſet, inique incuſabat. Ad Peinam itaque Mauritius cum exercitu in diœceſi Hildesheimienſi conſedit, & novis legatis miſſis, tum ipſe, tum quoque mediatores, qui duos Principes Proteſtantes fortiſſimos collidi

do-

Digitized by Google

dolebant, Albertum ſui officii admonebant. Hi quum conditiones ſatis æquas Alberto offerrent, indignabundus & nimio vino per prandium hauſto temulentus, ſigna dare jubet ad prælium, quod ſuas cum Mauritio controverſias dirimeret. Saxones inopinati invaduntur; & rei novitate perterriti aliquantiſper loco cedunt. Sed animo & ſpiritu collecto, duce Mauritio tarditatem gravitate compenſant, & impetu in medios hoſtes facto ſtragem quatuor millium edunt. Ipſe autem Mauritius fortiſſime inter ſuos dimicans a tergo globo argenteo conficitur, & victor pro ſalute Germaniæ, cujus cauſam illa pugna feliciter egerat, occubuit. *v. Arnold. in vita ejus. Fabrit. l. c. p.* 109. *Muller. in Annalib. ad annum* 1553. *Th. Winzeri deſcript. pugn ap. Schard. T.* 2. *p.* 559.

§. XVI.

Duodecim, quibus interfuerat, bellicis expeditionibus, illam ſibi famam pepererat, qua præ omnibus Germaniæ principibus etiam penes exteros exſplendeſcebat. Duobus Cæſaribus in Europa & Aſia optimo ſucceſſu in Germaniæ ſalutem ſe oppoſuerat; religionem in tuto collocaverat, libertatem brevi a Carolo V. opprimendam vendicaverat, & ſuam denique Saxoniam magnis beneficiis ornaverat atque auxerat.

Digitized by Google

§. XVII.

Luctum ex obitu Mauritii non modo Saxoniæ, ſed & omni Germaniæ & in illa Proteſtantibus ſubortum, felici & prudenti regimine *Auguſtus* frater compreſſit, qui communi Saxonum virtute,charitate ſcilicet erga patriam & Auſtiam, nihil unquam habuit antiquius. In aula Regia Ferdinandi Pragæ adoleſcens verſabatur, & a teneris Auſtriæ placere ſtudebat. Hinc comitem ſe itineris Mauritio dederat in Belgium contra Gallos, & victoriæ, ad Fanum Divi Victorini contra Franciſc. I. obtentæ, voluntarie dimicans interfuerat. Elector factus, in Comitiis Auguſtanis 1555. pacem Religionis Paſſavienſi conventione promiſſam publico imperii decreto ſanciri flagitat, & commune bonum promovens impetrat. Triennio poſt in Francofurtenſibus Comitiis Ferdinando Imperatori creando adſtitit, & de illis quæ ad tranquillitatem ſtatus & Religionis ſpectare videbantur, deliberat. Anno 1562. ad Comitia in eadem urbe celebranda accedit,nec minori alacritate, in Maximiliano II. Rege Romanorum deſignando, quam antea in Ferdinando I. Patre Cæſarem ſalutando utitur. Idem Maximilianus II, quum biennio interjecto Dresdam veniſſet,magnifice exceptus,& eodem anno

poſt

poſt obitum Ferdinandi Imperator conſtituitur. *Fabric. Orig. Saxon. p.* 119. *Müller. in Annal. ad h. ann.*

§. XVIII.

Arctiorem cum hoc Maximiliano, Auguſtus quondam Pragæ amicitiam in primis juventutis annis contraxerat, atque illius memor nulla non data occaſione auxilio fuerat. Anno enim 1565. contra Turcas ſelectum militem in Hungariam miſerat, & ſuppetiis plus vice ſimplici repetitis, plurimum ad victorias Cæſareani exercitus fecerat. Motæ interea turbæ fuerant a Grumbachiana factione, in Saxoniæ ſuperioris Circulo (cujus Hiſtoriam *ap. Schard. T. IV.* legas) & ipſi Auguſto inſidiæ ſtruebantur. Omni Germaniæ nocitura, ſi in nervum erupiſſet, conſpiratio communi conſilio Auguſto Electori opprimenda demandabatur. Huic, quamvis grave videretur, in propriæ familiæ principem arma convertere; gravius tamen videbatur Germaniæ ſalutem negligere, & in ſinu potentiſſimi circuli, cujus cura ipſi præcipue incumbebat, rebellionem lentis conſiliis fovere. Fruſtra itaque ſæpius admonito patruo bellum indicit, & per tres menſes Gothanæ urbis & arcis obſidione continuata, Ducem in cuſtodiam accipit, ſubditis pacem reſtituit, & Saxoniam æque

Digitized by Google

ac omnem Germaniam a metu motuum internorum feliciter liberat. Rebelles ſupplicio plectit, & re bene geſta, milite dimiſſo domum victor revertitur, vid. *Müller. ad h. a. Fabrit. Orig. Saxon. p. 120. Thuan. l. 36. & 41.*

§. XIX.

Anno 1575. Maximilianus II. cum filio Rudolpho & inſigni comitatu Dreſdam venit, ut de morte cogitans filium Auguſto commendaret. Ipſum Rudolphum inſimul monuit, ut parentem coleret, quem ipſe fratris inſtar quondam dilexiſſet. *vid. Dreſſ. Chron. Saxon. 726. it. Mich. Bojemi Orat. in Auguſt. mem.* Paulo poſt ultimos cum Maximiliano II. ſermones miſcuit in Comitiis Ratisbonenſibus, quibus finitis Imperator placida morte defunctus eſt. Legerant autem in illis Comitiis Septemviri vivo adhuc Cæſare Rudolphum Imperii ſucceſſorem, moti Auguſti commendatione, *qui Cæſarum amicus neceſſarius, quam Cæſar, qui cæteris Principibus indigeret in imperio, eſſe malebat. v. Thuan. l. 84.* Hoc ultimo favoris erga Auſtriacos edito ſpecimine ipſe anno 1585 quatuor ex illa gente Imperatoribus fide & conſtantia acceptus, deceſſit, & exemplar, quod poſteri imitarentur, optimi erga patriam affectus fato functus reliquit.

CAP. IV.

Digitized by Google

CAP. IV.
DE
MERITIS DOMVS SAXONICÆ
IN
S. R. IMPERIVM ET FAMILIAM AVSTRIACAM PER SECVLVM DECIMVM SEPTIMVM AD NOSTRA USQVE TEMPORA.

§. I.

QVo propiora noſtris temporibus merita Saxonum in Seculo decimo ſeptimo accedunt, eo majori cum cura illuſtranda veniunt, ut optimum erga Patriam affectum indies penes Saxones adauctum evincamus. Hinc quum primo loco temporum ſerie obſervata Chriſtianus II. reperiatur, qui decimum Sextum finiat, novumque ſeculum pandat, nullus ſilentio Princeps tegendus erit, qui nemini voluntate & ſtudio rem Auſtriacam ornandi ceſſit. Primo enim regiminis anno 1601. promptitudinem inſerviendi teſtaturus Legatum Gödelmannum cum aliquot tormentis varii generis, hunc in finem ſpeciali mandato conflatis, in bello Hungarico contra Turcas uſurpandis, ad Cæſarem ablegavit, eidemque do-

Digitized by Google

dono, quod majora aliquando promitteret, propenſiſſimam erga Auſtriam voluntatem ſignificavit. *v. Fabric. Orig. Sax. L. IX. pag.* 141. Agnovit illam, quo decebat, animo Imperator, & Legatis Dresdam miſſis, ſuum pariter & Matthiæ fratris amorem literis expreſſit.

§. II.

Tormentis in ſignum fidei Cæſari traditis, tales ſuppetias biennio poſt ſuperaddidit, quales ante hæc tempora nulli Imperatori præſtitæ fuerant. *v. Fabric. l. c.* Hinc, amicitia cum Auſtriacis indies firmata, plura, quæ recenſenda extra orbitam forent, Bohemis & Proteſtantibus ſalutariter à Rudolpho II. procuravit. Tanta adhæc illius credebatur autoritas, ut eo præſente lites Rudolphi II. cum Matthia ipſius arbitrio Pragæ anno 1610. dirimerentur, & nimia cum Cæſare conſuetudo, miniſtris Hiſpanis invidiam, reliquis admirationem excitaret. *v. Schurtzfl. in Frieder. III.* §. 17. Majora, quæ Imperio & Auſtriæ ab ipſius heroico animo & ingenuo Symbolo: Ich fürchte GOTT/und ehre den Käyſer. *vid.* Birckẽn Sächſiſchen Helden-Saal. *p.* 625. ſperanda fuiſſent, morte præventus Johanni Georgio I. expedienda, & in Germaniæ ſalutem vertenda reliquit.

§. III. Hu-

§. III.

Hujus æterna in Cæſares Auſtriacos merita,tot tantaque deprehendimus, ut modo numerus illorum, modo ipſa, quæ ex illis in Domum Auſtriacam redundavit, felicitas recenſendis illis quodammodo obſtare videatur. Præſtat tamen illa, quæ omnium oculis ſunt expoſita, tenui calamo memorare,quam a recenſione illorum,quum perfecte aſſequi ultra vires ſit, rei gravitate deterreri. Inciderat itaque in illa tempora Johannis Georgii I. regimen,quibus labaſcentes Auſtriacorum res Saxonica fide & conſtantia in Germania & Bohemia erant reſtituendæ. In Germania enim Proteſtantes,novam libertatis & religionis oppreſſionem veriti,*Unione* ſolenni Halæ Svevorum vires jungebant,qua poſtea uniti,ſi quid in illorum præjudicium vel à Cæſare, vel à quovis alio ſuſciperetur,injurias vi publica propulſarent. Quemadmodum ergo fœdus illud honoremCæſari debitum violare, & ipſi Rudolpho II. formidoloſum videbatur, ita eidem ſubſcribere, aut ſe adjungere tum Chriſtianus II. defunctus,tum vero Joh. Georg. I. dubitaverant. Dehortabantur potius varios Imperii Ordines, & ſua autoritate perficiebant, ut Henric. Julius Brunſwic. & Ludovicus V. Landgrafius Darmſtadienſis eandem cum Electoribus

H Sa-

Digitized by Google

Saxoniæ ſententiam ſoverent. *v. Ludolph.* Schau-Bühne. *T. I. p.* 312.

§. IV.

Primo hoc erga Auſtriam amoris edito ſpecimine, majora indies ſequebantur, quæ Matthiam quoque ſenio confectum Dresdam vocabant, ut Ferdinandum II. quem ſucceſſorem præoptabat, Joh. Georgio I. commendaret *v. Meteran. l.* 34. *Pufendorf. hiſtor. Guſtav. Adolphi L. I.* Auctis interea motibus Bohemicis, literis ad Electorem a Cæſare datis arbitrium ipſi ad dirimendas lites judicio Matthiæ deferebatur. Huic muneri & pietati erga Imperatorem ſatisfacturus, iteratis adhortationibus Bohemos officii ſui monuit, & diæta provinciali habita Dresdæ novum militem conſcribendum, ut verbis pondera adderet, indixit. Anno quoque proximo 1619. inducias certis conditionibus iisdem propoſuit, iisque rejectis arma viroſque contra illos paravit. Literis interea datis Bohemi quoque ægre tulerunt, quod Matthia mortuo Ferdinandus, quem ipſi Regem reſpuerent, ad comitia Imperii, in quibus electio perageretur, ipſis non interrogatis convocatus eſſet. Aſt parum illa proteſtatione proficiebant, & paulo poſt ipſe Ferdinandus Francofurti Imperator ſuf-

fra-

fragiis Electorum & Johannis Georgii I. menſe Auguſto declarabatur. *v. Ludolf. T. I. p.* 707.

§. V.

Cognita fide Johannis Georg. I. Ferdinandus illius adhuc operam in pacanda Bohemia efflagitabat, & duabus hac de cauſa ad illum datis literis Menſe Majo & Auguſto anno 1610, ut exequeretur munus delatum, eundem hortabatur, addita tamen cautione de non opprimendis Proteſtantibus. Bohemi contra, & in illis Schlickius morum quondam magiſter & gubernator in ſuas partes Electorem perducere eodem ſtudio contendebant; & quum de novo Rege eligendo conſilium caperetur, coronæ offerendæ ſplendore fidem & pietatem erga Auſtriacos ſollicitare tentabant. Repetitis inde precibus, ut ſi ipſos adjuvare nollet, neutrius ſaltem partes amplecteretur, bis repulſam tulere. Nutantes ſcilicet Ferdin. II. res opibus & auxilio ſuſtentare decreverat, tum ut Cæſari fidem probaret, tum ut pactum *unionis*, quo Reges Bohemiæ & Electores Saxoniæ mutuo copulantur, exemplo ſuo confirmaret. Budiſſam inde, & alias Luſatiæ nec non Bohemiæ urbes ſua manu occupat, & Ordinibus Sileſiæ in gratiam acceptis cum iisdem de pacis conditionibus deliberabat. Eodem tempore, quum decretoria

Digitized by Google

pugna Pragenſis Palatini & Bohemorum animos viresque attriviſſet, plures ad officium redigebat, & Uratislaviæ anno 1621. homagio ipſi a Sileſiis præſtito regionem Cæſari pacatam reſtituebat.

§. VI.

His tam præclare pro domo Auſtriaca geſtis nullus dubitabat, quin Imperator quoque ſuis promiſſis eſſet ſatisfacturus. Lichtenſteinium hac de cauſa, nec non ipſum poſtea Cæſarem literis admonebat, ut datæ fidei memor antiqua jura Evangelicorum non laceſſeret. Hoc non obſtante clerici Proteſtantium Pragæ anno 1622. in exilium mittebantur, & ſedibus in Saxoniam translatis patrios penates mœſti relinquebant. Ægre utique Elector ferebat, quod illi, quos fidei ſocios agnoſceret, & quorum ſecuritati, uti ipſe arbitrabatur, ſatis proſpexerat, ejicerentur. Sed nova ad illam adhuc accedebat offenſa, quum non conſentiente Saxone & Brandenburgico Palatinus Rheni Electoratu privaretur. Quamvis etiam alii Lineæ Rudolphinæ Palatini, Evangelicorum partibus addicti, ſupereſſent, nulla tamen illorum ratione habita Principi Electoralem dignitatem oblatam juſte dolebat, qui in conventibus Electorum rationem ſtatus Pontificiorum ſuo ſuffragio ſemper eſſet adjuturus. *v. Ludoph.* Schaubühne *ad an.* 1623.

Re-

Digitized by Google

Recepto tandem inter Electores in conventu Schleiſingenſi certis legibus Bavaro, ſimultas tamen illa ex juſtis cauſis orta, indies in animo Electoris adaugebatur. Poſtulaverant ſcilicet a. 1625. Canonici Magdeburgenſes Auguſtum Joh. Georgii filium Metropolitanæ ſedis Præſulem. Æmulus ipſi Leopoldus Wilhelmus Auſtriacus fuerat, qui Cæſaris & Pontificis gratia adjutus, Capitulo eligendus ferme obtrudebatur. Rejecto Leopoldo Imperator Johanni Georgio I. perſuadere conabatur, ut filio autor eſſet, qui ſponte ſua dignitate & loco cederet. Ipſe autem indignum hoc gente ſua & filio exiſtimans recuſabat, & Canonicos potius, ut in ſemel facta electione perſiſterent, hortabatur. v. *Ludolf. T. I. p.* 441.

§. VII.

Denique ab ipſo Cæſare anno 1629. Edicto, uti vocatur, Reſtitutorio promulgato, vid. *Schilter. Libertat. Eccleſ. German. pag.* 1078. *ſeqv.* claſſicum quaſi ad bellum civile canebatur, & non conſideratis rationibus, quibus Elector illud declinabat, v. *Schilt. l. c. p.* 1082. *ſeqv.*, eodem anno Halberſtadienſis Epiſcopatus in priſtinum ſtatum armata vi redigebatur. Proteſtantium quoque Partibus addicti, non modo Bohemia, ſed & Auguſta Vindelicorum ejiciebantur. Hinc quamvis arcanis

tractatibus Miſenam, Wurtzenam, Martisburgum & Cizam edicto exceptas quidam referant vid. *Giovann. in Saxon. p.* 77. idem tamen, quod aliis regionibus acciderat, Saxonicis terris aliquando quoque erat metuendum; & ne Proteſtantium partes Elector negligere videretur, Lipſiæ anno 1631. deliberabatur, num vim vi quoque repellere & ſacra ac libertatem Germaniæ defendere liceret. Sententia itaque in illo conventu lata Cæſari ab Electore mittebatur, & quum nihiloſecius Tillius poſt excidium Magdeburgenſe provincias Electoris hoſtili exercitu invaderet, Sveco in auxilium vocato, majoris ducebat ſacra & libertatem defendere, quam Cæſari, qui ſuperſtitioſis miniſtris regebatur, obtemperare. vid. *Puſend. rer. Guſt. Adolph. L. II. Ludolf. T. II. ad a.* 1631.

§. VIII.

His tam gravibus cauſis motus, amicitiam cum Auſtriaca gente tamdiu redintegrandam differebat, donec religioni & libertati Pragenſi pace inita ſatis caviſſet. Dolebat equidem pro illo, quo pollebat, erga patriam affectu, quod extraneis Germania per plures annos diripienda vacaſſet, & omni conſilio eo directo, ut Cæſaris animum flecteret, de pace certis conditionibus cum eodem ineunda cogitabat. Metuebant ſcilicet

Im-

Imperator pariter ac Elector moram belli magis, quam ipſum bellum, & utrique inde melius videbatur, pactione etiam temporaria illud extingui, quam ulterius ferro & igni Germaniam in diſcrimen adduci. Conventum itaque eſt Pragæ XX. Maj. anno 1635, ut Edicti Reſtitutorii vis in quadraginta annos ſuſpenderetur, Auguſto filio Magdeburgum, ipſi vero Johanni Georgio Electori Luſatia ad compenſandas impenſas in bellum Bohemicum factas concederetur, & communi denique Imperatoris & Electoris opera pax deſideratiſſima Germaniæ procuraretur. vid. *Inſtrum. Pac. Londorp. Act. publ. L. 3. c. 4. p. 458. it. Theatr. Europ. ad h. a. p. 472. Ludolf.* Schaubühne *T. 2. p.* 408. judicia quæ de Pace proſtant, vid. ap. *Aſſerium, Caſſanum* & *Zypæum.*

§. IX.

Hanc pacem quamvis Sveci & alii ſcriptis ſuis accuſaverint, nemo tamen malæ fidei poſtulaverit, qui rationes ſatis arduas Electoris cognoverit. Ut enim pietatem erga Auſtriam & Germaniam Joh. Georg. rem ſingulis notiſſimam impræſentiarum taceam, qua Germaniæ ruinam bello continuato extimeſcebat, Svecorum ſane faſtus, quo Epiſcopatus Herbipolenſes, Osnabrugenſes, & alia bona Eccleſiaſtica, quaſi de propriis rebus

ſta-

Digitized by Google

ſtatuentes, donaverant, perferendus indignum quid generoſo animo Electoris videbatur. Directorium religionis, quod Sveci exercebant, & conjunctio Circulorum Saxoniæ a Svecorum Cancellario Oxenſtirnio in præjudicium prærogativarum domus Saxonicæ peracta, adhuc juſtas fœderis mutandi cauſas dederant, & quum Archiepiſcopatus Magdeburgenſis filio Auguſto injuſte a Svecis denegaretur, ſæpius hac de re queſtus, conſilium optimum in armis contra Svecos gerendis poſitum arbitrabatur. Ultimo loco ſi ſtatum adhuc rerum illo tempore reſpicias, Nördlingenſi clade accepta, omnis regio Electoris Imperatori patebat, neque devaſtatio Saxoniæ armis Svecicis, aut alia ratione declinari poterat, quam ſi illorum partibus relictis Cæſaris exercitus Saxoniæ vicinus amicus redderetur. Bellum itaque, quod defenſionis neceſſitate coactus ſuſceperat, eadem conſervationis propriæ neceſſitate motus deliberata pace mutavit.

§. X.

Quantum vero Imperator pace hac ſpeciatim cum Electore inita profecerit, neminem latebit, qui iſtorum temporum hiſtoriam noverit. Ipſe Imperator Ferdin. II. pace cognita publice fatebatur, *Johannem Georgium I. honeſta moderatio-*

Digitized by Google

tione iram temperaſſe & non modo ſe amicum Cæſaris, ſed Patrem Domui Auguſtæ exhibuiſſe. vid. Schurtzfl. in Diſſert. Fried. III. Bohemia, quæ excurſionibus Saxonum & Sveciæ antea expoſita fuerat, ſecurior, in Saxones primo impetu devoluto, degebat. Plurimi Duces & Civitates quæ autoritate & potentia Saxonis potiſſimum regebantur, in gratiam cum Cæſare redibant, & omnis ferme Saxonia ſuperior & inferior mutata ſententia Svecorum caſtra deſerebat. Ipſe Saxonum exercitus, quo Sveci quondam adjuti fuerant, iisdem armis contra illos utebatur, quibus olim contra Cæſareanos nec infeliciter pugnaverant.

§. XI.

Mutata hac poſt Pragenſem pacem rerum facie, Sveci hoſtes proſequebantur Saxones, quos fœderatos antea ſæpius adjuverant. Hinc vario marte per plures annos certatum fuit, donec anno 1645. induciæ ſex menſium cum Svecis indicerentur, & ſubſequenti anno ad pacem usque continuandæ adprobarentur. Quas impenſas per decennium hoc Elector ex proprio peculio ad ſublevandum Cæſarem fecerit; quot hoſtium impetus, incendia, & vaſtationes ſuſtinuerit, & quanto animo Svecorum pollicitationes, quibus illius fidem Imperatori datam ſollicitare conaban-

 tur,

tur, eluſerit, *Puſendorfius in hiſtoria Guſtavi Adolphi* & *Theatrum Europæum* ſingulis libris ad hos annos loquuntur.

§. XII.

Quum itaque Germania ſatis diu exterorum & civium ſuorum diſcordia lacerata eſſet, pacem quam ſuis terris Elector per inducias reddiderat, eidem procurare maxima contentione allaborabat. Miſſis inde primo vere anno 1646. Osnabrugam legatis Johanne Erneſto Piſtorio & Johanne Laubero, præcipue illis in mandatis dabat, ne pertinacia ſua pacis negotium quacunque fuerit ratione impedirent. Putant plurimi illique ſagaciores, quod ſi legati Saxonici plura ad reparationem damni poſtulaſſent, & acriores privato commodo, quam publico inſtitiſſent, Magdeburgum & Halberſtadium illis procul dubio obveniſſet. Sed nimio erga patriam amore abreptus, publicis, ut exprimit *Giovan. in Saxon. p.* 78, ſpoliis Elector locupletari noluit, religioni ſibi ducens, ſi ſuæ utilitatis gratia Germania laceranda aut diutius hoſtibus exponenda fuiſſet: Cedebat ergo potius ſuis juribus, & generoſo animo, ut Germaniæ tranquillitatem procuraret, illa contemnebat, ad quæ obtinenda peſſimo ſeculi more plurimi proprias provincias in caſum dediſſent. Pace poſtea firmata

ſuc-

Digitized by Google

fuere,quæ Pragenſi conventione Cæſar promiſerat, & quamvis impenſarum & damni reſtitutionem Johannes Georgius adhuc efflagitare potuiſſet, glorioſius ducebat Cæſari, privatum commodum negligendo, inſervire.

§. XIII.

Pace reddita animum erga Cæſarem nulla temporum bellique viciſſitudine immutatum teſtaturus, iter Pragam inſtituendum meditabatur. Filium ſeniorem itineris comitem eligebat, & die 25. Octobris anno 1652. ſingulari comitate ab ipſo Cæſare Ferdinando III. Pragæ excipiebatur. Prandiis frequentibus ab utraque parte inſtitutis amicitiam æternam firmabant, & communem ſtatus rationem cum Auſtriacis impoſterum habituri domum revertebantur. Senio tandem & curis pro ſalute Reipublicæ confectus, placida morte a. 1656. obiit, tantam in ornanda Germania laudem antiqua fide aſſecutus, quantam poſteris imitationi, exteris admirationi ſufficere, communi omnes ſuffragio fatentur. conf. *Illuſtr. Seeligmann. diſſert. qua vit. Joh. Georg. I. in acad. Lipſ. olim recenſuit.*

§. XIV.

Nihilo minorem divo patre laudem Joh. Georgius II. meruit, qui in bona cauſa primus Leopoldi Magni adjutor fuit. Quum enim mortuis

Ferdinandis Germania capite, quo regeretur, careret, ipſe Vicariatus honore & onere ſuſcepto, ſingulari prudentia muneri præfuit. Convocatis quoque Franckofurtum Electoribus anno 1658. non modo ipſe electioni interfuit, ſed & plurimum ad eandem, ne quidem Romanenſibus ſcriptoribus diffitentibus, ſua autoritate contulit. vid. *Nani Relat. de ſtat. German.* Pari alacritate, ne qua in parte per abſentiam reipublicæ deeſſet, comitia Ratisbonenſia a. 1664. frequentabat, & conſiliis ad Turcarum invaſionem reprimendam communicatis, ex illis ut diætæ provinciali intereſſet, diſcedebat.

§. XV.

Eandem operam pro exiſtimatione & gloria Auſtriæ, ac ſecuritate Imperii bello adverſus Gallos navavit. Hi equidem ao. 1672. in ſuas partes adducendum nihil prætermiſerant, verum de mutando Electoris animo deſperantes incaſſum laboraverant. Fœdus adhuc eodem anno defenſivum menſe Octobri cum Cæſare ineundum placebat, & vi illius copiis ad Rhenum miſſis Saxones expeditionibus in illis oris frequentes aderant. Majorem inſuper amorem erga Auſtriacam gentem teſtaturus Egram a. 1673. venit, & colloquiis cum invictiſſimo Leopoldo frequentibus inſtitutis, qua Francofurti quondam uſus fuerat, familiaritatem inno-

va-

Digitized by Google

vavit. Svecis quoque Gallorum promiſſis allectis, &Marchionatum Brandenburgicum invadentibus ſelecta manu occurrendum exiſtimavit. Firmato itaque cum Brandenburgicis fœdere rem illorum ſubminiſtratis copiis ſubinde adjuvabat. Pace dein Neomagenſi ſubſecuta gaudium, quod Germaniam bello liberatam videret, publico gratiarum Deo perſolvendarum feſto indicto ſignificabat. Neque tamen diu de pace gaviſus eſt, ſed hoc adhuc nomine commendandus, quod filium ſui parem reliquerit, Freibergæ anno 1680. obiit.

§. XVI.

Ediderat hic digniſſimus tanto patre hæres, priusquam ipſam regionem regendam acciperet, tot tantaque bellicæ virtutis ſpecimina, ut Galli in ipſo dextram imperii & animoſitatem Alberti proavi Germaniæ rediiſſe merito dolerent, Germani vero perfecte haberent, de quo tanquam vindice gloriæ avitæ ſibi congratularentur. Anno jam 1673. Gallos ad Mummenheimium patriis copiis fugaverat, & laudibus Leopoldi debitis eodem anno Egræ incitatus, majora indies magno animo meditabatur. Ipſo duce legiones Saxonicæ Cæſareanis jungebantur, & ſequenti anno nulla hyemis adhuc durantis ſævitie deterritus novas ſuppetias in Wetteraviam educebat. Majorem adhuc laudem a. 1677.

Digitized by Google

adipiſcebatur, quum primo vere caſtra Cæſaris ſponte ſua ſequeretur. Ipſius & Saxonum virtute Saarbrücka occupata, & educto in Lotharingiam milite menſe Junio Gallos ad Didenhofium & Baſſonvillium in fugam dabat. Pervenerat Lüzelburgum usque, & cognito Sedanenſi agro commeatus inopia magis quam Gallorum copiis premebatur. Hinc ad Rheni ripam cum exercitu conſedit, & re bene geſta victor Dresdam rediit. Sequenti quoque anno aliam adhuc in oris Rhenanis expeditionem ſuſcepit, & milite in hyberna reducto Cæſari præſens affectum & pietatem Viennæ ſignificavit.

§. XVII.

Quum poſtea pax Neomagenſis parum ſecura ipſi videretur, pacis quoque tempore de bello cogitavit. Simulac enim Electoratum accepiſſet, communicatis ſæpius cum Brandenburgicis conſiliis novo fœdere Gallorum machinationes eludere parabat, illoque Finſterwaldæ anno 1687. confecto & aliquoties confirmato copiarum delectum ſalutari conſilio inſtituebat. Inciderat ſcilicet in illa tempora bellum omni Germaniæ funeſtiſſimum, quo Turcæ Gallorum, uti fertur, technis excitati Auſtriam invadebant, & non præviſa obſidione Viennam anno 1683. cingebant. Fœdus ſingulare jam menſe Junio initum fuerat, quo Elector Impera-

ratori operam in adjuvando promptiſſimam promiſerat. Huic & amori erga patriam ut ſatisfaceret, nuncio obſidionis accepto, arma viroſque parabat, & quamvis nonnulli ſuaderent, ut iter aliorum exemplo adhuc differret, donec præmium futuræ expeditionis a Cæſare reſciret, turpe judicabat cunctatione ſua Viennam perire, dum ipſe Dresdæ deliberaret. Omni itaque privati commodi ratione poſthabita, continuis itineribus cum ſelecto milite per Bohemiam tendebat, & die 30. Auguſti copias ſuas Polonicis, & Imperatoriis caſtris inſerebat. Conjunctis itaque viribus manus cum hoſtibus conſerere, & urbem hoſtibus ſuſtinendis imparem liberare præoptabat. Bonis igitur auſpiciis ſecunda Septembris die caſtra cum fœderatis movebat, & Calenbergio monte inſeſſo hoſtis caſtra, cum quo de ſalute certandum eſſet, intuebatur. Saxones aviis & ſaxoſis locis occupatis viam reliquis ferro pandebant, & primi in omni exercitu Turcas laceſſebant. Velitationibus inde felici ſucceſſu peractis ſociis animum addentes hoſtibus terrorem incutiebant. Acriores undiquaque inſtabant, & eadem, qua cœperant, die opus omni rei Chriſtianæ ſalutare perficere geſtiebant. Electoris & Golzii ſummi exercitus Saxonici præfecti virtute & conſilio, Ducis Lotharingiæ, qui plura in cra-

ſti-

Digitized by Google

ſtinum differre volebat, animus mutatus, & impetu Saxonum, duce Flemmingio, repetito, Turcæ ex foſſis obſidionariis ignitis globulis conjectis pellebantur. Paulo poſt Turcæ de rebus ſuis deſperantes citius animum & arma abjiciebant, quam Saxones & fœderati credidiſſent, &, quum vultus Germanorum & in illis præcipue Saxonum ferre non poſſent, in fugam ſe conjecerunt. Gloriam Saxonum præclaro hoc facinore partam invidia comitabatur, & quamvis vel maxime Vienna Electoris auxilio & virtute Imperatori reſtituta fuerit, laudibus tamen Saxonum promeritis partium ſtudioſi & alienæ auræ captatores quantum poterant detrahere non omittebant. Verum inani hoc maleferiatorum hominum ſtudio nihil ſplendori Saxonum deceſſit, & *Malagonellus Florentinus*, quamvis diverſa ſacrorum opinione regi præſumendus eſſet, publica in memoriam iſtius victoriæ Florentiæ habita oratione, Saxonum nunquam intermorituram fidem & virtutem ornato dicendi genere deprædicare ſuſtinuit.

§. XVIII.

Victor itaque ex Auſtria Dresdam revertebatur, & communi ſuorum gaudio exceptus, novum paulo poſt exercitum adornabat, quo Imperatoris arma victricia in Hungaria adjuvaret. Dimis-

Digitized by Google

miſſo illo anno 1686. expugnationem Budenſem ſuorum virtute, quam ipſe Cæſar publice commendabat, faciliorem reddebat. Gallis quoque ut Turcarum res collapſas reſtituerent, Germaniam invadentibus, Auguſtani fœderis non ſocius tantum, ſed auctor erat adjutorque, & primus omnium anno 1688. exercitu educto obviam ire paratus, non obſtante anni tempeſtate, ipſe invaſioni ſuſtinendæ iter Francofurtum ſuſcipiebat. Heilsbrunnam & Dielsbergam hoſtibus eripiebat, & præſidiis urbibus impoſitis in hyberna militem educebat. Primo ſtatim vere anno 1689. iterum aderat, & filiis Sereniſſimis comitibus itineris adſcitis, ſuo exemplo inſitos in illis virtutis ſtimulos excitabat. Moguntiam Gallis illa expeditione Saxonum opera ereptam, & hac occupata Circulos Rhenanos & Franconicum tectos fuiſſe, Germania maximopere gaviſa eſt. Intererat quoque anno 1690. & 1691. expeditionibus contra Gallos in oris Rhenanis factis, & quamvis non deeſſent, qui metu morbi futuri, ultimum iter diſſuaderent, tanto tamen rempublicam adjuvandi ardore ferebatur, ut dixiſſe ferant: Ich will und kan nicht zurücke bleiben / ſondern muß dieſem Feldzug in Perſon beywohnen / ſolte ich mich auch hinaus tragen laſſen. Accepta itaque, quæ ab Imperatore deferebatur,

ſumma exercitus ducendi poteſtate, Rhenum trajiciebat, & invadendi hoſtis nullam prætermittebat occaſionem. Ille autem Germanorum & Saxonum arma virtutemque veritus, prælio rem ſuam credere timebat. Nimio interea ſolis æſtu varii morbi oriebantur, quibus exercitus & in illo Elector quoque laborabat. Ad curandum itaque corpus Tubingam perferebatur, & hoſtibus ſemper ſuperior morti menſe Septembr. anno 1691. ſuccumbebat.

§. XIX.

Glorioſa hac morte in defendenda patria defunctus telam, quam cœperat, Johanni Georgio IV. pertexendam reliquerat. Gallis ille, tribus jam expeditionibus vivo patre ſuſceptis, imperterritum animum monſtraverat. Gratulabatur inde de optimo & fortiſſimo Principe ſibi Germania, & quum anno 1693. caſtra, quæ ſecutus erat, Imperatoris illis munitionibus circumdediſſet, quæ Gallis, copiis Germanos longe exſuperantibus, expugnanda difficillima videbantur, non minorem laudem ex cohibendo impetu hoſtium a finibus patriæ, quam parens ex victoriis ſanguine partis reportabat. Verum enim vero, ut ſunt res humanæ, monſtraverant ſaltem fata Germaniæ hunc Principem, & quæ expectanda ipſi fuiſſent victoria-

Digitized by Google

riarum præmia fratri Sereniſſimo reſervaverant. Obitus enim illius qui in ipſo expeditionis ſuſcipiendæ apparatu anno 1694. acciderat, Saxoniæ & S. R. Imperio longe graviſſimus viſus fuiſſet, niſi ſucceſſoris Sereniſſimi Friederici Auguſti auſpiciis Rem Romano Germanicam ſtare & vigere ſummus rerum arbiter voluiſſet.

§. XX.

Hunc videlicet Principem in teneris annis ſummum Numen remotis quoque imperiis in peregrinationibus monſtrare decreverat, ut ſi quando omnem orbem gloria rerum geſtarum & Clementiæ fama impleviſſet, pia veneratione vultus & corporis decora olim viſa recordarentur. Belli pacisque artes, quibus Saxoniam moderatur, memorare, hoc dicendi genus exſuperaret; & ſi illa ſaltem benevolentia exacte tradenda veniret, qua Auſtriam & omnem Germaniam eſt proſecutus, virtuti bellicæ Friederici I, Clementiæ Friederici II, gravitati Wilhelmi, animoſitati Alberti, Sapientiæ Friederici III, magno animo Joh. Friederici, dexteritati & munificentiæ Mauritii, prudentiæ Auguſti, fidei Chriſtianorum & Conſtantiæ erga Cæſarem Johann Georgiorum ſingula recenſendo officere videremur. Sive enim primos

Digitized by Google

adoleſcentiæ annos intuearis, ſive profectiorem ætatem reſpicias, nullo tempore affectu erga Germaniam ulli Principum ceſſiſſe deprehendes. Loquuntur illum expeditiones Rhenanæ anno 1689. 1690. & 1691. in quibus Pater Divus Johann. Georgius III. eundem excitavit. Teſtantur & nunquam intermorituræ gloriæ monimenta erunt victoriæ, quas ex Hungaria contra Turcas reportaverat. Sublevatis enim Gallica invaſione illorum rebus, quæ nutare jam cœperunt, & ferme priſtino ſtatui reſtitutis, Leopoldi partes in Hungaria defendendas ſuſceperat, & tanto quoque ſucceſſu defenderat, quanto Imperator & omnis Germania augendas expectaverant. Summa enim bellicarum rerum in exercitu ipſi Viennæ anno 1695. ab Imperatore delata, Cæſari Ottomannidarum tam acriter inſtabat, ut Lippa regrederetur, & Tranſylvaniæ occupatione fruſtra tentata, prœlium omni ſtudio evitaret. Anno quoque 1696. Viennenſi itinere bis repetito quatuor adhuc millia ſuorum Cæſaris exercitui jungebat, & Marozio flumine trajecto, Temeswario imminebat. Hoc ut obſidione præſumpta liberaret, ipſe Cæſar Turcarum cum omni exercitu accedebat, cujus tamen adventu cognito tantum aberat, ut Saxones illum extimeſcerent, ut potius glo-

gloriæ aucupandæ ſpe incenſi eidem obviam irent. Manibus inde ab utraque parte menſe Auguſto anno 1696. conſertis, acriter utrinque certatum eſt, quum Saxones & Cæſaris copiæ pro patria, Turcæ pro ſalute dimicarent. Utraque gens præſentia Ducum adhuc magis movebatur, & tamdiu ancipiti marte pugnabatur, donec exemplo militibus dato Friedericus Auguſtus Achmetis reſiſtendi pertinaciam conſtanti virtute pervinceret. Parta itaque victoria eſt, quæ quamvis ſanguine & jactura aliquot millium redimeretur, non minus tamen glorioſa, quam ſalutaris omni Hungariæ extitit, quod Turcis rejectis Tranſylvania metu vaſtationis futuræ liberaretur. Exercitu poſtea in hyberna reducto, ipſe quidem domum revertebatur, ſed fortiſſimo & veterano in Hungaria milite relicto anno 1697. in decretoria pugna ad Zentam plurimum ad victoriam contulerat. Sequebatur illam pax Carolovizienſis, qua firmata & Hungaria reſtituta copias ſuas, nova occaſione data demonſtrandi, quanti Germaniam & Auſtriam faceret, evocabat.

§. XXI.

Mortuo, ſcilicet Johanne III. Poloniarum Rege, qui Patri quondam in liberanda Vienna

comes fuerat, plurimum Germaniæ & Auſtriæ intererat, quem vicinum ex illa parte impoſterum eſſet habitura. Eminebat inter illos, quos publica electione inſtituta Reges Poloni optabant, duo præcipue Elector Saxoniæ Friedericus Auguſtus & Contæus Gallus. Illum præclara in Hungaria haud ita pridem edita facinora; hunc vero virtus, quæ campum adhuc, ut cognoſceretur, ſibi aperiendum poſtulaverat, & Ludovici XIV. literæ ac pollicitationes commendabant. Illi Auſtria & Germania, huic Gallia favebat, ut ſcilicet utrumque regnum in eligendo haberet, quem bello ſuborto vel amicum, vel hoſtem experiretur. Quanto major itaque Auſtriacis ſemper præ Gallis ex naturali regni ſitu & vicinia, cum Polonis conſuetudo fuerat, tanto enixiori quoque ſtudio ipſi eo allaborandum erat, ut Elector Saxoniæ offerendam coronam amplecteretur. Qui ultimam per decennium rerum faciem ſecum penſitaverit, haud difficulter deprehendet, quantum omnis Germania Sereniſſimo Friederico Auguſto debeat; quum niſi ipſi Poloniam diademate accepto ornare placuiſſet, Bavaro infenſo, Gallo agrum Tridentinum jam inſidente, & Ragozio in Hungaria nova moliente vix aliquid ad opprimendam

dam

Digitized by Google

dam illam reſtare videretur, quam ut Contæus adhuc Poloniæ viribus, opibus Ludovici adjutus, contra Germaniam uti potuiſſet. Hoc certiſſimum patriæ communis periculum prævidens, illi avertendo coronam accipiebat, qua obtenta contra Turcas Germaniam defendere, & Gallorum inſidias ab orientis parte eidem ſtructas elidere aliquando poſſet.

§. XXII.

Bellum dein novum cum Gallis Germaniæ in primis Seculi Decimi Octavi annis ſuſceptum, copiis Imperatori in auxilium miſſis, adjuvit, &, quum gravioribus regnandi curis impeditus eſſet, quo minus ipſe pro Germaniæ ſalute pugnaret, nunquam tamen conſilio rempublicam ornandi defuit. Nullus equidem tacebo, quod inter primos fuerit, qui exercitu miſſo Reipublicæ ſubvenerit, & quum alii ſuam, qua urgerentur, neceſſitatem allegarent, quo minus copias in comitiis determinatas ſuppeditarent, bello Septentrionali implicitus non illas tantum, quas mittendas terrarum ſuarum portio efflagitabat, ſed & plures diverſis vicibus ſubminiſtravit. Habeat itaque in illo, id quod precamur, non modo Polonia & Saxonia, ſed & omnis Germania,

quo

quo rebus dubiis confugiat, quemve Hectorem & Statorem ſuum admiratione debita per tot annos veneretur, per quot olim Auguſtus, & Friedericus, ſalutaria Reipublicæ Romanæ, Germanicæ, & Saxonicæ quoque nomina, imperii habenas tenuerunt.

§. XXIII.

Traditis ergo illis, quæ a Sereniſſima Saxonum gente per tria ſecula in gratiam S. R. Imperii & Domus Auſtriacæ ſuſcepta fuerunt, aut inſcitiæ aut malæ fidei inſimulari poſſem, qui plurima aliorum Saxoniæ Ducum, præcipue ultimi ſeculi, merita plane præterierim. Referre huc poſſes ex Albertina linea Chriſtianum & Mauritium Auguſti Adminiſtratoris Magdeburgenſis filios, quorum alter in obſidione Moguntina telo confectus, alter vero Segedini in Hungaria militans morbo anno 1695. periit. Philippum quoque & Henricum Johann. Georg. I. ex Chriſtiano Martisburgenſi nepotes merito adderes, quum ille in prœlio ad Floriacum in Belgio anno 1691. fœderatorum cauſam agens perimeretur, hic vero adhuc in vivis, præfecti quondam legionis Imperatoriæ ſpartam ornaverit. Mauritium quoque Johann. Georgii filium Ducem Ci-

Digitized by Google

Cizenſem accenſeres, cujus optimum erga Germaniam animum ex Cæſaris Leopoldi elogio, quo Pragæ anno 1673. *principem antiquæ & Germanicæ fidei* publice compellavit, colligeres. Eadem virtute inclytos filios ejus Sereniſſimos dicas, inter quos noſtro præcipue tempore Chriſtianus Auguſtus Romanæ Sedis Cardinalis nemini affectu erga Auſtriam ſecundus in graviſſimis quibusque negotiis Auſtriacis a conſiliis ſemper fuit, & adhuc exiſtit. Frater quoque Friedericus Henricus virtutem quondam Germaniæ approbaverat, & expeditionibus in oris Rhenanis auſpiciis Johan. Georg. III. interfuerat. Nec minorem S. Rom. Imperio & Auſtriæ operam Erneſtinam, ut vocatur lineam navaſſe deprehendes, ſi Joh. Georgii Iſenacenſis dignitatem, qua Mareſchallus campi a Cæſare declarabatur, & Friederici Auguſti filii glorioſam in Budenſi obſidione pro patria mortem conſideraveris. Erneſtum Gothanum, Svecorum partibus relictis, Pace Pragenſi Cæſari amicum, & filium Friedericum, Ordine ſpeciali *Candoris Germanici* hunc in finem inſtituto, amorem erga Patriam ſignificaſſe, omnibus conſtat. Alberti denique Coburgenſis, Erneſti

L Lu-

Google

Ludovici Meinungenſis, Henrici Rœmheldenſis, Erneſti Hildburghuſani, Johannis Wilhelmi Gothani & aliorum ex Sereniſſima gente dignitates bellicæ, merita erga Patriam locutæ ſunt, & ex parte adhuc loquuntur. Perfacile proinde foret, ſi diſtinctius ſingulis conſideratis plura memorare vellemus, illa quoque tradere, quæ, quamvis in ſe ſatis ſint præclara, Electorum tamen ex Sereniſſima familia meritis ſua ſponte cedunt. Conſtabit tamen Principibus illis ex rebus geſtis gloria in ipſos redundatura, & meliori forſitan ratione conſtabit, ſi quis alia occaſione, ubi Electoralis domus in Germaniam beneficiorum excellentia, hoc iam loco illuſtrata, illorum ſplendori non obſtare poſſit, ſpeciatim eadem illorum merita recenſeat.

Digitized by Google